35.3.F 21.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO HIERONYMO DE RVVERE S. R. E. Cardinali ampliſsimo.

PETRVS DVODVS S. D.

HOMINEM eſſe aut animam tantum, aut animam præcipue, cum omnes pro comperto habeant, Illuſtriſsime Cardinalis; fit, vt illud, ſiue ab Apolline reſponſum Cręſo Lydorum Regi, vt credidit antiquitas, ſciſcitanti, quomodo felicitatem conſequi poſſet, ſiue à Solone Attico in templo Delphico ſcriptum, vt nonnullorum opinio fuit, ſiue à Chilone Lacędęmonio prolatum, vt alij tradiderunt, & poſtea propter diuinitatem ſuam ad Deum aucto-

35. 3. F. 21

rem relatum, NOSCE TE IPSVM; cognoſcendam eſſe in primis animam hominis moneat; qua cognitione nihil eſſe melius, nihil præſtantius, nihil ad beatam vitam maioris ponderis, & momenti, omnes omnium ætatum ſapientes cenſuerunt. Huiuſmodi ego cognitionem, tanquam fundamentum felicitatis, cum diu, multumque appetiuerim; & præter auctoritatem Theologicam, etiam ratione Philoſophica exquiſiuerim; ac, quantum fieri potuit, non ſolum, ex veteribus philoſophis, maximeque philoſophum Corypheo perceperim Ariſtotele, verum etiam ex nonnullis recentioribus arripuerim, inter quos Principem nomino Franciſcum Piccolomineum, ſummum noſtrorum temporum philoſophum: ipſam duodecim ab hinc annos ſeptem libris expreſſam, & nunc multo accuratius, copioſius, facilius enucleatam, ac, quibuſcunque potuerim rebus, quaque licuerit induſtria, exornatam, ſub tuo illuſtrisſimo, & amplisſimo nomine volui apparere; vt, quanti faciam patrocinium amplitudinis tuæ, quantunque putem me aſſecutum eſſe, quod me pro benignitate tua amare cœperis, omnibus aperiam. Etenim, ſi nullos alios fructus ex ea legatione percepiſſem, qua patriæ meæ nomine Sereniſsimo Sabaudiæ Duci, CAROLO EMANVELI, nouas nuptias ſum gratulatus;

tus;

tus;hunc certe uel vberrimum,ac liberaliſsimum iudicarem , quod per illam tua mihi gratia , amorque conciliatus eſt. Ac cum te præſens quidem cœpiſſem admirari, ſine dubio propter variam, quam in te conſpiciebam, præſtantium multarum artium cognitionem, & incredibile, ac conſtans virtutis , ac ſcientiæ ſtudium paucos habebam, quos tibi æquarem, nedum anteponerem; teque ſummopere colebam, non tam propter ſplendorem generis incredibiliter illuſtrati à Fr. FRANCISCO DE RVVERE, Cardinali, qui poſtea eſt factus ſummus Pontifex, & XYSTVS IIII. nuncupatus; à CHRISTOPHORO, & DOMINICO DE RVVERE itidem Cardinalibus, à quibus Illuſtriſsimum ille cognomen dicitur accepiſſe; à IVLIANO DE RVVERE, etiam Cardinali, qui ad ſummum Pontificatum ſimiliter aſcendit, & IVLIVS II. eſt appellatus; quàm quòd Illuſtriſsimam familiam tuam præclariſsimis uirtutibus tuis mirabiliter adornares. Præterea non tam quia Taurini Archiepiſcopus eſſes, quàm quod Archi epiſcopatu, & Cardinalatu, ac omni dignitate quam digniſsimus ab omnibus iudicareris: quod commune iudicium paulo poſt XYSTI. V. Pontificis Max. ſapientia, cooptato te in purpuratorum patrum numerum, comprobauit.

bauit. Cum igitur amplitudinem tuam ſuſpicerem, & admirarer; quemadmodum ualde gaudebam, quod me ſingulari beneuolentia complexus, ac prope incredibili ſtudio proſecutus eſſes: ſic nihil antiquius habebam, quàm vt inſignem aliquam darem deuotionis, atque obſeruantiæ in te meæ ſignificationem. Dumque id mecum cogitarem, ſtatui, nihil à me amplitudini tuæ poſſe gratius offerri, quam ſi meam ipſius ANIMAM conſecrarem; animam, inquam, à me formatam, & plurimis auctam ornamentis ita, vt, ſi non propter auctoris excellentiam, quam nullam in me eſſe fateor, at certe propter materiæ grauitatem ex philoſophiæ penetralibus depromptæ, ſe tanquam ancillam tuam benigne abs te acceptum iri, ſperare queat; quæ licet propter grauiſsimas, & altiſsimas occupationes tuas uix conſpici à te poſſe uideatur: ſat tamen habebit, ſi in domum tuam Illuſtriſsimam recepta Perilluſtri Abbati, IVLIO, fratris tui filio, iuueni bonarum litterarum ſtudioſiſsimo, quàm honeſtiſsimè ſeruiat. Is enim præter alias laudes quibus mirificè ornatus eſt; præter legem, quàm in religioſiſsimo uitæ genere ſibi ipſe impoſuit, ſeruandæ perpetuæ continentiæ, excludendarum inanium cupiditatum, ſpectandæ in omni vita gloriæ ſummi Dei, id eſt, ſalutis ſuæ; cum-

ſupe-

ſuperioribus proximis annis in Gymnaſio Patauino maxima ſua cum laude uerſatus ſit, & in optimarum artium ſtudijs admirabilem curſum, atque progreſsionem fecerit ad excellentiam; hanc animam meam adhibere, ni fallor poterit ad præclara Ariſtotelis præcepta in memoriam reuocanda, & planius, & apertius comprehendenda: vt ſcilicet Illuſtriſsimorum maiorum ſuorum, & præcipue tuis ad omne decus inſignibus veſtigijs inſiſtens celeri gradu currat ad ea, quæ ipſum manent, præmia immortalitatis. Quamobrem hoc, quod offero, munus ut benigne accipias, amplitudinem tuam rogo: quod quidem ſi nihil aliud proficiet, at certe ſummam in te reuerentiam, & obſeruantiam meam, ut ualde cupio, cunctis gentibus patefaciet. Vale.

Venetijs. Menſe Octobri.

An. CIↃ IↃ LXXXVII.

Potiora errata ſic corrigito.

Pagina 5. linea 18. conueniant. lege conueniunt. pag. 3. lin. 20. nucupauit. leg. nuncupauit. pag. 24. lin. 9 à corpori. leg. à corpore pag. lin. 9 efse. leg. eſſe pag. 24. lin. 19. actu. leg actu. pag 40. lin. 15. ſignificant. leg. ſignificant. pag. 40. lin. 30. deſinitione. leg. definitione. pag. 43. lin. 3. Quæ. leg. Duæ. pag 43. lin. 14. vt ens. leg. utens. pag. 45. lin 23 mortalinm. leg. mortalium. pag. 49. lin. 28. in incorpoream. leg incorpoream. pag. 54. lin. 9. Duo. leg. duæ pag. 65. lin. 12. ideſt. leg. id eſt. pag. 67. lin. 18. illi. leg. illic. pag. 70. lin. 15. in 12. leg. ut in. 12. pag. 89 lin. 5. veceſſitas. leg. neceſſitas. pag. 92. lin. 28. nutriẽtes. leg. nutrientis pag. 95. lin. 17. properea. leg. propterea. pag. 100. lin. 19. cit. leg. eſt. pag. 101. lin. 8. trahentes. leg. trahens. pag. 101. lin. 31. rationem. leg. ratione, pag. 102. lin 1. proximam. leg. proxima. pag. 109. lin. 1. non. leg nos. pag. 108. lin. 11. refellt. leg. refelli. pag. 111. lin 8. uluit. leg. ualuit. pag. 126. lin. 11. nonnullis. leg. nonnulli. pag. 128. lin. 1. ertiendi leg ſentiendi. pag. 128. lin. 16. utentè. leg. vtenti pag. 136. lin 12. anticipitis. leg. ancipitis. pag. 140. lin. 29. intentionem. leg. intenſionem. pag 149. lin. 21. Merone. leg Menone. pag. 152. lin. 21. animalis. leg. animalia. pag. 155. lin. 4. reciptionem. leg. receptionem. pag. 155. lin. 8. ſecõda. leg. ſecũda. pag 160. lin. 31. vt leg. at. pag. 161. lin. 26. Ariſtotelis. leg. Ariſtoteles. pag. 161. lin. 32. 53. leg. ſeilicet. pag. 162. lin. 20. prætereo. leg præter. pag. 162. lin. 26. διηχὶς leg. διηχὶς. pag. 162. lin. 27. δίυσχον leg. δίυσχον. pag. 165. lin. 5. pernitus. leg. penitus. pag. 167. lin. 5. vonditione. leg. conditione pag. 167. lin. 16. intermedij. leg. intermedijs. pag. 169. lin. 7. hoc leg. hæc. pag. 171. lin. 9 produduci. leg. produci. leg. 173. lin. 18. mcdiat. leg. media. pag. 173. lin. 23. moralibus. leg. matalibus. pag 174. lin. 31. periter. leg. pariter. pag. 176. lin. 10. dignoſcendi. leg. dignoſcendo. pag. 176. lin. 28. enumeratio. leg. enumeratio. pag. 179. lin. 25. diſtinctioque. leg. diſtrictoque. pag. 187. lin. 12. diſſcruiſſet. leg. diſſeruiſſe. pag. 188. lin. 3 debeant. leg. debent. pag. 204. lin. 2 inquiunni. leg. inquiunt. pag. 207. lin. 18. perduntur. leg. perpenduntur. pag. 214. lin. 3. petere. leg. patere. pag. 216. lin. 18. & hac leg. Ex hac pag. 217. lin. 4 conueniat. leg. conueniant. pag. 219. lin. 4. equarum. leg quarum. pag. 235. lin. 21. aſſedæ. leg. aſſeclæ. pag. 236. lin. 11. quæ. leg. qua. pag. 236. lin. 23. aguntur. leg. agunt. pag. 236. lin. 23. effectus. leg. effuſus. pag. 237. lin. 25 cuius. leg. eius. pag 237. lin. 33. Ariſtotelis leg. Ariſtoteles. pag. 238. lin. 25. opinionem. leg. operationem. pag. 238. lin. 26. ſententia. leg. ſententiam. pag. 238. lin. 28. mibribuyndum. leg. ſmibribus udum pag. 240. lin. 10. & cæterum. leg & cætera. pag. 240. lin. 17. Proeterea. leg. Præterea pag. 240. lin. 26. regere. leg. egere. pag 240. lin. 29. reget. leg. eget. pag. 241. lin. 3. intellectu. leg. intellectui. pag. 244. lin. 12. moles. leg. molis. pag. 244. lin. 15. cõuentu. leg. euentu. pag. 246. lin 9. perpeſſonis. leg. perpeſſionis. pag. 248. lin. 7. intellectum. leg. intellectu. pag. 249 lin. 24. abſolutioria. leg. abſolutiora. pag. 249. lin. 27. prædictus. leg. præditus. pag. 250. lin. 3. exactionem. leg. exactiorem pag. 250. lin. 27. ui dixit. leg. ui dixi. pag. 250. lin. 30. eliſio. leg. elicio. pag. 250. lin. 30. non ſolam. leg. non ſolum. pag. 251. lin. 2. Anagoras leg. Anaxagoras. 253. lin. 8. Pugnam appetitu. leg. pugna in appetitu. pag. 253. lin. 23. morum. leg. motum. pag. 254. lin. 15. alteratio. leg. altercatio. pag. 257. lin. 1. ex diſſenſione. leg. & diſſenſione. pag. 258. lin. 32. inſtitum. leg. inſtitutum. pag. 259. lin. 11. moneat. leg. moueat. pag. 259. lin. 27. monet. leg. mouet. pag. 260. lin. 4. interne. leg. interna. pag. 260. lin. 6. aertigo. leg. uertigo. pag. 261. lin. 17. planctis. leg. plantis. pag. 262. lin. 14. principi. leg. priucipium. pag. 263. lin. 2. expoſuit. leg. expoſeit. pag. 264. lin. 4. filios. leg polos. pag. 264 lin. 15. uincta ab immobile. leg. cuncta ab immobili.

INDEX OMNIVM CAPITVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Capita Primi Libri.

EXORDIVM libri. Cap. 1. pag. 1.
De qua anima ſit agendum. Cap. 2. 4
Qualis ſit animæ conſideratio. Cap. 3. 5
Quem locum ſibi vendicet in Naturali Philoſophia animæ conſideratio. Cap. 4. 8
Exploduntur nonnulli errores, & vna inſtantia diſſoluitur. Cap. 5. 10
De præſtantia cognitionis animæ. Cap. 6. 13

De difficultate cognitionis animæ. Cap.7. 15
Antiquorum de Anima opiniones. Cap.8. 17
Animam non eſſe corpus. Cap.9. 19
Quòd anima non ſit accidens. Cap.10. 22
Oſtenditur adhuc animam accidens eſſe minimè poſſe. Cap.11. 24

Capita Secundi Libri.

ANIMA eſt forma, actus, atque perfectio. Cap.1. pag. 27
Quid per primum, & quid per ſecundum actum intelligere debeamus. Cap.2. 29
Solutio nonnullarum de actu ſecundo difficultatum. Cap. 3. 31
Animæ definitio. Cap.4. 33
An rectè anima dicatur prima perfectio. Cap. 5. 34
Anima cur dicatur perfectio corporis phyſici. Cap. 6. 36
Anima quomodo ſit perfectio corporis inſtrumentarij. Cap. 7. 37
Anima quomodo ſit perfectio corporis potentia vitam habentis. Cap. 8. 39
Corpus animatum cur potentia viuum, & non actu dicatur. Cap.9. 41
An ambæ differentiæ in Animæ definitione acceptæ, nempe inſtrumentarium, & potentia viuum, eædem diuerſæue exiſtant. Cap. 10. 43
Animæ definitio an cęlorum ac dæmonum animis conueniat. Cap.11. 45
Animæ definitio an humanæ animæ à corpore ſolutæ conueniat. Cap. 12. 46

Ani-

Animæ definitionem ab Ariſtotele rectè traditam fuiſſe confirmatur. Cap. 13. 49

Capita tertij Libri.

ANIMA eſt primum vitæ principium, primaque cauſa in triplici genere cauſæ. Cap. 1. pag. 51
Vita quotuplex ſit. Cap. 2. 52
De numero facultatum animæ. Cap. 3. 54
Animæ facultates an ab eſſentia animæ realiter, an ratione tantummodo diſtinguantur. Cap. 4. 55
Solutio nonnullarum dubitationum facultates animæ ab animæ eſſentia realiter diſtingui comprobantium. Cap. 5.
De vitali facultate quid ſenſerit Ariſtoteles. Cap. 6 Pagina. 60
Solutio nonnullarum difficultatum de vitali facultate, vbi eam à naturali minimè diſtinctam eſſe demonſtratur. Cap. 7. 62
Quæ animæ facultas valeat ſeorſum ab alijs reperiri. Cap. 8. 63
De facultate appetente, quotuplex ſit, & quibus conueniat. Cap. 9. 66
Dubia nonnulla ad appetitum pertinentia, unà cum eorum ſolutionibus. Cap. 10. 68
Anima an ſit tota in quauis parte, multæ referuntur opiniones. Cap. 11. 70
Prædictæ opiniones reijciuntur. Cap. 12. 72
Dubitationis ſecundum Auctoris mentem ſolutio, quomodo Anima tota in toto, & tota in quauis parte, necnon pars in parte eſſe dicatur. Cap. 13. pag. 74.

Capita Quarti Libri.

NVTRITIONEM ab Anima prouenire. Cap. 1. 77
De alimento. Cap. 2. 79
De conditionibus alimenti. Cap. 3. 81
Alimentum quomodo ſimile reddatur. Cap. 4. 84
Opera Animæ nutrientis. Cap. 5. 86
Quomodo per totam vitæ durationem nutriamur. Cap. 6. 88
Plantæ quomodo nutriantur. Cap. 7. 90
De Plantis abſurdæ quędam antiquorum opiniones refutantur. Cap. 8. 91
De fame & ſiti. Cap. 9. 92
Explicatio definitionum famis, & ſitis. Cap. 10. 94
Alimenti ſenſus quinam exiſtat. Cap. 11. 98
De inſtrumentis Animæ nutrientis. Cap. 12. 100

Capita Quinti Libri.

DE attinentibus ad intentionem, & ordinem. Cap. 1. pagina 103
Diuiſio ſenſibilium, & declaratio ſenſibilis proprij. Cap. 2. 105
An ſenſus decipiantur in cognitione ſenſibilis proprij: opinio prima. Cap. 3. pag. 107
An ſenſus decipiantur, opiniones aliorum. Cap. 4. 109
Difficultatis propoſitæ ſecundum Auctoris mentem diſſolutio. Cap. 5. 111
De communibus ſenſilibus. Cap. 6. 113
An ſenſilia communia ſint ſenſilia per ſe. Cap. 7. 114

Dubi-

Dubitationum ſenſilia communia non per ſe,ſed per accidens ſentiri comprobationum,diſſolutio.Ca.8. 116
De numero communium ſenſilium. Cap.9. 118
De ſenſilibus ex accidente. Cap. 10. 119
An ſenſilia per accidens ſentiantur à brutis.Ca.11. 121
Quomodo ſenſuum ſit pati. Cap. 12. 122
Quomodo ſe habeant ſenſus ad munus ſentiendi . Cap. 13. 126
Quomodo animalia per ſenſus ſentiant.Cap.14. 127
Sententia propria Auctoris.Cap.15. 129

Capita Sexti Libri.

CVR primò de ſenſu viſus agatur. Cap. 1. 132
De obiecto viſus. Cap.2. 135
Lumen cur requiratur in viſione, opiniones aliorum.Cap.3. 137
Propria Auctoris opinio,difficultatisq; propoſitæ diſſolutio.Cap.4. 139
Lumen requiri ob medium.Cap.5. 142
Lumen requiri ex parte oculorum. Cap.6. 144
De modo quo videmus opiniones uariæ. Cap. 7. 146
Reijciuntur ſententiæ minus approbandæ. Cap. 8. 150
Viſionem fieri per receptionem actionum obiecti. Cap. 9. 152
Dubia nonnulla proponuntur & diluuntur.Cap.10. 154
Cur res una dum inſpicitur non appareant duæ . Cap. 11. 157
An Ariſtoteles cum Platone de modo uidendi conciliari poſſit. Cap.12. 159
Quid ſit perſpicuum, & unde ortum ducat.Ca.13. 162
Quibus corporibus competat perſpicuitas.Cap.14. 164

Quos uſus præbeat perſpicuum. Cap. 15. 167
De auditu, eiusq́; pręſtantia. Cap. 16. 169
Viſum, & auditui, & cæteris ſenſibus quinque de cauſis præferendum. Cap. 17. 171
De reliquis ſenſibus, & externorum ſenſuum numero. Cap. 18. 172
De ſenſibus internis. Cap. 19 178
De internorum ſenſuum numero, opinio prima. Cap. 20. 178
De numero internorum ſenſuum, opinio ſecunda. Cap. 21. 180
De numero internorum ſenſuum, opinio tertia. Cap. 22. 181
De numero internorum ſenſuum, Auerrois opinio. Cap. 23. 183
De numero internorum ſenſuum, opinio approbanda. Cap. 24. 186

Capita ſeptimi Libri.

DE intellectu diſſerendum proponitur, humanæq́; mentis immortalitas ex varijs Ariſtotelis auctoritatibus inueſtigatur. Cap. 1. 189
Ex primo de partibus animalium, ratio prima pro humanæ mentis immortalitate. Cap. 2. 190
Ex eodem primo de partibus, alia ratio. Cap. 3. 195
Ratio tertia ex eodem primo de partibus animalium deprompta. Cap. 4. 201
Ratio quarta ex primo de partibus animalium deſumpta Cap. 5. 205
Loca nonnulla ex primo de anima, humanæ mentis immortalitati fauentia perpenduntur. Cap. 6. 207

Verba

Verba vndecimi contextus ſecundi de Anima humanæ mentis immortalitatem ſignificantia perpenduntur. Cap.7. 210
Perpenditur contextus 21. ſecundi de anima. Cap. 8. 211
Ex tertio de Anima humani intellectus æternitas colligitur. Cap.9. 215
Perpenditur ſextus contextus tertij de anima. Cap. 10. 217
Perpenditur contextus ſeptimus tertij de anima. Cap. 11.Pag. 219
Ex alijs tertij de anima contextibus eadem ſententia de humani intellectus æternitate confirmatur. Cap.12. Pagina. 222
Perpenditur tertium caput de generatione animalium. Cap.13. 224
Perpenduntur verba.xij. Metaphyſicæ.Cap.14. 229
Confirmatur humani intellectus æternitas ex libris de Moribus. Cap.15. 230
An intellectus ſit Deus opinio Alexandri.Cap.16. 233
Euerſio ſententiæ Alexandri.Cap.17 236
Diluuntur aduerſæ rationes.Cap.18. 239
Opiniones nonnullæ de intellectu agente reijciuntur. Cap.19. 241
Opinio propria.Cap.20. 243
De facultate animalium motrice.Cap.21. 246
De Principio motus animalium.Cap.22. 249
De Principio motus duo proponũtur & diluuntur dubia. Cap.23. 252
De modo quo animal mouetur opinio aliorum. Cap. 24. 254
De modo quo animal mouetur opinio propria. Cap. 25. 256

Expli-

Explicantur nonnulla alia quæ pro motu animalium requiruntur. Cap. 26. 258
Quomodo pro animalium motu requiratur quieſcens. Cap. 27. 262
Dictorum epilogus, & Peroratis. Cap. 28. 264

FINIS.

PETRI DVODI
FRANCISCI D. MARCI PROCVRATORIS FILII PATRITII VENETI.
De Anima Liber Primus.
CAP. I.
Exordium libri, inſtitutum Authoris, ratiòque inſtituti.

HOMO cum diu viuere non valeat, niti ſaltem pro facultate tenetur, ea meditari, vel agere quorum munere diù conſtet illum vixiſſe, ita enim Diuina (vt ei licet) emulabitur, quorum vita perennis propria eſt; & quoniam vitæ fons, & origo eſt anima, ideo vt de illuſtranda vita, ita de Anima patefacienda tenemur eſſe ſolliciti, Præſtantia, & Dignitas vtriuſq; cum ex varijs conſtat, tum ex eo maxime con-

ſpicua redditur quia Morti aduerſantur, qua nil Deterius homini per naturam competere aptum eſt. Conſiderari poteſt Anima cum relationibus ad ſupera, & infera, & ad ſe ipſam, at quouis modo conſideretur ſemper ſplendidiſſima fulget, Dum enim primo ad ſupera refertur conſpicuè conſtat eam eſſe Fauillam Dei, ſplendorem Diuinorum, Speculum in quo creator refulget, inſpectricem operum Dei, ſupernarumque legum indagatricem, ac ob id in magno orbe, tanquam in magno Dei Templo Diuini cultus veræque Religionis antiſtitem eſſe, & ſacerdotem; Dum mox refertur ad infera, eadem ſaluberrima fulget, muneraque ſua vberrima, ac preciosiſſima patefacit, ita enim corporibus præeſt, eis Dominatur, eaque regit, nam eſt ſpiritus, quo corpora ſpirant, forma qua formoſa redduntur, Motor quo in omnem loci differentiam ex ſe mouentur, Auriga, quo recto curſu incongruentem finem diriguntur, & Iudex eorum quæ corpora ſeruare, & perficere valent. Demum dum in ſemetipſa conſideratur, non minus præclara, & admirabilis apparet, nam quia inter Mentes omnino à corpore ſolutas, & materiata mediat; ex cęlo diuina munera haurit, eaque in mortalia effundit, ac vice verſa purgans terrena, ea vehit in cęlum, & in extremorum medio conſtituta, ſupera cum inferis fęlici nodo deuincit, adeo vt iure optimo in mortalium, æternorumque orizonte dicatur poſita, eademque ratione Principium temporis, finiſque æternitatis ab Academicis iudicetur. Hic eſt admirabilis ille Protheus, qui cum ſit libertate donatus, eſt aptus fieri omnia, & viuere vitam omnem, & cum adeo Illuſtris adeoque præclara ſit Anima, mirum non eſt, ſi omnis humana perfectio ex ea pendet, ſi omnis recta inſtitutio ex ea ducitur, in eaque dirigitur, ſi abſque eius cognitione omnis humana cognitio

eſt

eſt inanis, & demum ſi abſque congruente eius conformatione,& habitu, nec grati Deo, nec amici nobis,nec cæteris vtiles eſſe valemus, Propterea cum ego quam primum valui, & per ætatem mihi licuit ad ſapientiæ ſtudia animum appuliſſem, nil magis exoptaui,quam ut de Animæ natura,& conditione, quid ſentirent Philoſophi, & horum maximè Peripatetici pro facultate cognoſcerem, in qua meditatione nunc quoque maturior redditus, dum valeo libentiſſime perſiſto; Iam ego per familiarem congruentemq; animi mei inſtitutionem,& munere ſuperni luminis optimè noueram Animam hominis, Dei Omnipotentis beneficio creari, in corpus ſibi paratum infundi, illudque perficere, ac formare;ita tamen, ut poſt corporis reaſſumendi diſſolutionem ab interitu ſeruetur incolumis, attamen ſummopere exoptaui ſapientum quoque Mundi ſcrutari ſententias, ut quò nos eleuet humana ratio, de quo debeat corrigi, qua de re, ſinè ſuperno lumine valeat, vel non valeat verum inſpicere, lucidè iudicarem & ex hac comparatione elicerem, quantum ſacræ Fidei teneamur, quam vberes ſint fructus eius, & ob id firmius & conſtantius veritatem eius lumine credentibus patefactam amplecterer,& magnifacerem. Nam ſi præceperimus Pythagoram, Platonem, & Ariſtotelem tria humanæ ſapientiæ lumina Animam noſtram nouiſſe immortalem, quis amplius derelinquetur hac de re dubitandi locus? quis audebit (niſi inſaniat) ambigere,an ea ſit morti obnoxia? & iure Dixi niſi inſaniat, quia maius delirium ab homine de ſeipſo enunciari poſſe non exiſti mo, quam hoc,quod omni ex parte, tanquam Pecus,& fera ſubijciatur morti, nilque in eo inueniatur, quod Diuinum ſit, veritas autem noſtræ Religioni conſentanea cum vbique amplectenda eſt, tum maxime in vrbe,

& Republica Religioſiſſima ſub Principe, qui vt vniuerſæ iuſtitiæ, ita veræ Religionis eſt exemplar, varij equidem viri Docti, doctè, & eleganter de Anima ſcripſerè, at vel dubia principalia præteriere ſilentio, vel in eis enodandis adeo fuere prolixi, ut plurimum ætatis in eis perlegendis conſumi debeat, Propterea, mihi ego propoſui, via quadam media progredi, & ſententias, dubiaque potiora ad Animam attinentia breuibus, lucidè, & diſtinctè pro facultate explicare, quod negotium, ut mihi maximè vtile, propriæque inclinationi accommodatum cognoui, ita ingenuis Iuuenibus de Peripateticorum Philoſophia ſolicitis, non mediocrem allaturum utilitatem exiſtimaui.

De qua Anima ſit agendum. Cap. II.

Animæ cõditio.

ANIMAE conditio adeò eſt ſublimis, ut diuinitatis dignitatem vſque ad eam deſcendere in ſuis epiſtolis exiſtimauerit Plato. Ariſtoteles verò etiam Deum ſeparataſque mentes cœlorum mundique animas eſſe cenſuit. Verùm ne pertinentia ad varias ſcientias ſimul imperitè, & contra decreta Ariſtotelis permiſceamus, de ſola mortalium anima, & præſertim de Anima hominis uerba faciam, & quidem iure optimo: in homine enim omnes animæ gradus, & facultates inueniuntur, quæ cæteris mortalibus competunt: Propterea Ariſtoteles in ſuis de Anima libris minimè de cœlorum animis verba fecit, & falluntur ex recentioribus illi, qui, ut noua afferre videantur, affirmant Ariſtotelem de Anima uniuersè ſumpta diſſeruiſſe: nam ſi communem animæ definitionem perpendimus, inueniemus eam minimè cœlorum animis conuenire, cum cœlum non ſit corpus inſtrumentarium,

mentarium, ſed ab Ariſtotele inter ſimplicia numeretur; idipſum patet conſiderando explicationem ſingularum animæ partium, nunquam enim de Anima cœli ſermo fit. Ratio autem cur de Anima cœli Ariſtoteles non ſit loquutus in libris de Anima, ea eſt quam nuper attuli. Propterea Simplicius malè ſentit, cum dicat Ariſtotelem non agere de Animis cœlorum, uel quia exactè de eis diſſeruit Plato, cuius explicationi Ariſtoteles ſe ſubſcripſit, uel quia per ea quę de eminentia noſtri intellectus in tertio de Anima, tradidit, voluit nobis eſſe nota attinentia ad Animas cœlorum. At falſa profectò vtraque ratio cenſeri debet: prima non eſt admittenda, nedum quia non idem ſentit Ariſtoteles cum Platone de Anima cœli; Verùm inſuper, quia nunquam conſueuit aliquid prætermittere, quoniam ab alijs declaratum fuerit, ita enim ſuam philoſophiam minimè abſoluiſſet. Altera quoque ratio reijcienda eſt, quoniam declarata de noſtro intellectu uel non conueniant cœlorum Animis, uel modo diuerſo.

Qualis ſit Animæ conſideratio. Cap. III.

VARIAE, & præſertim tres, de Animæ conſideratione, fuere ſententiæ; nonnulli omni ex parte putarunt eam eſſe Phyſicam, alij partim Phyſicam partim diuinam, quidam nec diuinam dixere nec Phyſicam, ſed mediam. Primæ opinionis fuit Alexander, qui omnem Animæ gradum cenſuit à materia pendere, & conſequenter ſubijci naturali conſiderationi. Propterea Ariſt. de omni Animæ gradu in libris de Anima diſſeruiſſe videtur. Hæc ſententia uera non eſt: primò ratione fundamenti, non enim omnis Animæ gradus à materia pen- *Alexandri opinio prima.* *Euerſio huius opinionis.*

det,

det, ut in progreſſu apparebit: ſecundò idipſum patet ex Ariſtotele, qui in primo de partibus Animalium, ſolam nutrientem & ſentientem Animam dixit eſſe naturam, intellectum verò negauit eſſe naturam, & ad Phyſicum pertinere, ideo in proœmio de Anima contextu 15. & ſexto diuinæ ſapientiæ contextu 2. non de omni Anima, ſed de ea ſola dixit debere Phyſicum diſſerere, quæ à materia pendet: ſecunda, & tertia opinio in parte ſunt veræ, & in parte falſæ: vera eſt ſecunda opinio, quòd anima ſentiens & nutriens pertineant ad Phyſicum; intellectus verò ad diuinum: errant tamen plurimi eius opinionis aſſertores, in quorum numero eſt Philoponus: quia cenſent conſiderationem utranque abſolui in libris de Anima; quod minimè dicendum eſt. Nam Ariſtoteles pro facultate ſemper conſiderationes varias accuratè ſeiunxit, ſcientias nō permiſcuit. Et hoc patet conſiderando, quòd Ariſtoteles in tertio de Anima de intellectu propoſuit agendum non abſolutè, ſed ſolùm vt eſt particula Animæ, de eo egit ſemper explicando, quæ illi conueniunt, ut complicato cum corpore; & per quandam comparationem cum ſenſu, & cum formis à corpore pendentibus: quòd ſi etiam diuinam eius eſſentiam nonnunquam attigit, id fecit obiter, ob connexionem illius libri cum duodecimo diuinorum, & quoniam medium ex quo colligebatur Phyſicum erat. Tertia pariter opinio veritatem cum mendacio permixtam nobis proponit, dum enim dicimus ſcientiam de Anima non eſſe Phyſicam, non diuinam, ſed mediam. Proculdubio, qui cenſent ita eſſe mediam, vt Mathematicæ mediæ ſunt, falluntur, uel enim daretur quartus gradus inſpectricis. Philoſophiæ, qui tamen non admittitur, uel ſcientia de Anima eſſet Mathematica, quod dici non debet, cum Mathemati-

Secunda opinio Philoponi.

Error Philoponi.

Tertia opinio Simplicij.

Euerſio huius opinionis.

cus

cus in ſola verſetur quantitate. Propterea errat Philoponus dum inquit ea, quæ ſunt, uel eſſe ſenſibilia, quæ ſine materia non cognoſcuntur, vel eſſe imaginabilia, quia ſunt in materia, & per imaginationem ſeiunguntur, vel eſſe abiuncta ex ſe, ac ſecundæ condicionis eſſe ſcientiam de Anima, & Mathematicas. Hoc minimè eſt concedendum, quia Animæ conſideratio non eſt ſine materia, cum definiatur per corpus Phyſicum. Pariter decipitur Simplicius, qui propterea ſcientiam de Anima cenſuit mediam, quia anima non eſt natura, ſed media inter naturam & ſeparatas mentes: hinc nedum Platonici, verùm ſapientes omnes Chaldæi, Aegyptij, Hebræi, Græci, Latini Animam mediæ cuiuſdam condicionis eſſe aſſeruere. Quæ ſententia vera non eſt, quamuis enim anima recta aliqua ratione poſſit iudicari media; non tamen ita eſt media, vt natura non ſit, & ei non conueniat definitio naturæ tradita in ſecundo Phyſicorum; ideò Ariſtoteles in ſecundo Phyſicorum frequenter oſtendit animam eſſe naturam, vt etiam in octauo Phyſicorum. 27. quo loci, motum animalis nucupauit naturalem, & in primo de partibus animalium, & iure quidem, nam omnis forma à materia pendens, quæ finis eſt generationis, natura nucupari meretur. Quare pro reſolutione difficultatis dicamus ſcientiam de Anima nutriente, & ſentiente omnino eſſe Phyſicam, cum nutriens, & ſentiens natura ſint: ſcientiam de intellectu abſolutè, & ratione eſſentiæ eius eſſe diuinam, vt tamen traditur in tertio de Anima eſſe Phyſicam. Et ratio eſt, quoniam in tertio de Anima ſolum explicantur nonnullæ eius Phyſicæ conditiones per media Phyſica: at abſolutè, vt eſt vna eſſentia abiuncta à corpore non pendens non propriè ibi explicatur. Demum ſcientia de Anima eſt media, & hoc dupliciter, primò

Error Philoponi.

Error Simplicij.

Opinio propria.

primò per comparationem, quatenus inter formas Phyſicas maximè accedit ad ſubſtantias diuinas; ſecundo, quia natura nonnunquam accipitur non in ſua latitudine, ſed vt contra diſtinguitur ab Anima, & infra Animam collocatur, per quam ſecundam acceptionem dicimus ſcientiam de anima mediare inter conſiderationem naturæ ſub anima collocatæ, & conſiderationem diuinarum mentium: & hinc prouenit quòd vniuerſa naturalis Philoſophia præſertim in duas ſecatur partes ratione duplicis acceptionis naturæ. attamen abſolutè vtriuſque conſideratio Phyſica cenſeri debet.

Quem locum ſibi vendicet in naturali Philoſophia Animæ conſideratio. Cap. IIII.

DISSENTIVNT Græci, Arabes, & Latini interpretes de loco, quem ſibi vendicet animæ conſideratio inter libros ad viuentium notitiam pertinentes, quorum opiniones, cum ſint variæ, & à varijs relatæ ego earum poſthabita relatione ſolum illam explicabo, quæ cum rationi, tum verbis Ariſtotelis magis videtur eſſe conſentanea: Aſſero itaque vniuerſam naturalem philoſophiam in duas principes partes eſſe diuiſam: in quarum vna & de communibus, & de attinentibus ad naturam infra Animam collocatam diſſeritur, quæ omnium conſenſu antecedit: in altera verò agitur de attinentibus ad viuentia, in qua ſecunda parte diſputaturus Ariſtoteles de uiuentibus, initium ſumpſit ab hiſtoria Animalium, & iure quidem, nam in viuentium gradibus eorumque partibus plurimæ inueniuntur varietates ſatis latentes, & occultæ, quæ vel ex diſſectionibus, vel ex obſeruationibus,

bus, ac partium mundi peregrinationibus innoteſcunt, per quas ſolùm quòd ita eſt cognoſcimus: quæ cognitio antecedit, & nos excitat ac dirigit in cauſarũ indagationem: ideo Ariſtoteles in initio ſecundi de partibus animalium affirmat ſe prius hiſtoriam tradidiſſe inquiens, ex quibus, & quot numero membris ſingula animalia conſtent, libris hiſtoriarum, qui de his ſcripti à nobis ſunt, planius explicauimus: idipſum colligitur ex primo de generatione animalium capit. tertio. Abſoluta hiſtoria explicandæ ſunt cauſæ, & principia animantium: & quoniam materia origine eſt prior, & per eam res magis ſub ſenſum cadunt, & nos ducunt in notitiam formæ, ideo poſt libros de hiſtoria ſequuntur libri de partibus animalium, partes enim ſunt materia eorum proxima; de quibus cum agatur, neceſſariũ fuit ſimul de earum vſu verba facere: quòd libri de partibus antecedãt libros de Anima, patefecit Ariſtoteles, dum in primo libro de partibus, conſiderauit, an agere de Anima pertineat ad Phyſicum: cum libris de partibus nectitur libellus, qui eſt de partibus motui animalium inſeruientibus. in cuius poſtremis verbis legitur, quod proximum eſt de Anima verba facere; propterea libris de partibus ſuccedunt libri de Anima: & iure quidem, nam explicata materia ſequitur vt de forma diſſeratur: ex notitia autem materiæ & formæ conſurgit exacta cognitio compoſiti, ex cuius prænotione progrediendum eſt ad declarationem affectionum eius: propterea poſt libros de Anima ſequuntur libri qui parua naturalia nuncupantur: quorum primus eſt liber de ſenſu & ſenſibili, ideo in eius initio inquit Ariſtoteles, quoniam de Anima & eius facultatibus diſſeruimus, ſequitur vt de proprijs communibuſque operationibus viuentium agamus. De quibus diſſerens Ariſtoteles conuenienti ratione pri

mò agit de attinentibus ad externos ſenſus, ſecundò de attinentibus ad internos, tertiò de attinentibus ad communem animalium motum, necnon ad generationem; poſtremò de attinentibus ad vitam & mortem, quem ordinem patefecit in calce libri de motu animalium. De Plantis autem vltimo loco agendum cenſuit, ideò quotieſcunque eius conſiderationis mentionem fecit, ſemper illam poſtpoſuit reliquis partibus naturalis philoſophiæ, vt patet ex procemio Metheorologicorum, & ex fine, pariter ex libro de ſenſu & ſenſili, nec non de longitudine & breuitate vitæ, & iurè id fecit, dum enim duo ita ſe habent ut vnũ non ſit neceſſarium pro notitia alterius, conſueuit Ariſtoteles de eo prius agere quod eſt natura prius; verè autem natura prius eſt id quod eſt perfectius, huiuſmodi ſunt animalia dum conferuntur cum plantis, & id præſertim ſeruandum fuit in viuentiũ declaratione, quoniã opera & organa animalium magis patent: inſuper in animalibus inueniuntur omnes animę gradus, & propterea ne ſermo eſſet conciſus, cõtinuata ſerie de animalibus fuit primò agẽdum, de quibus cũ agatur, in virtute etiam multa declarantur pertinẽtia ad plantas: ſolùm remanſerunt nonnulla de Plantis in ſpecie explicanda, de quibus minus conſueuit Ariſtoteles eſſe ſolicitus, propterea in poſtremã partem ea reiecit.

Exploduntur nonnulli errores, & vna inſtantia diſſoluitur. Cap. V.

Alexandri error.

EX explicata veritate colligere valemus errare Alexandrum, qui in calce Metheorologicorum dixit poſt illum librum ſequi librum de partibus animalium; cum quo etiam nonnulli ex recentioribus conſentiunt, qui libros de hiſto-

ria

ria cæteris omnibus poſtponendos cenſent; ſed decipiuntur: mouerunt Alexandrum ad hoc dicendum verba Ariſtotelis in eo loco, per quæ ſe in ſubſequentibus de Animalium partibus verba facturum pollicetur. At hoc nullius eſt momenti, quoniam in initio de hiſtoria animalium à partium dinumeratione orditur. Pariter exploditur error Auicennæ, Alberti, Aegidij qui libros de Anima primos eſſe putarunt inter libros de viuentibus. Auerroes quoque minus rectè ſentit, cum libros de plantis prætulerit libris de animalibus, & de Anima. Demum conſpicuus eſt multorum error, qui libros de generatioue animalium nectunt libris de partibus: qua de re Philoponus non ſibi conſtat; nam in proœmio de anima libros de anima ait locari poſt libros de partibus animalium; in initio vero libri de generatione animalium ait poſt libros de partibus ponendos eſſe libros de generatione animalium: niſi dicamus falsò adſcribi Philopono commentarium librorum de generatione animalium, quod facile credo. Quod itaque eorum ſententia qui inquiunt libros de generatione animalium ſuccedere libris de partibus vera non ſit, patet, quoniam conſpicua ſunt verba Ariſtotelis in calce libri de motu animalium, quæ ſic leguntur. De partibus animalium, de anima, de ſenſu, & memoria, ſomno, & communi motu diximus cauſas: reliquum eſt de generatione loqui, &c. Aſſerere quòd verba ſint deprauata, eſt rem certam per incertam explicare, & præſertim quia ille ordo rationi eſt ſummopere conueniens, & eadem ſententia confirmatur frequenter ab Ariſt. nam libro quinto de generatione animalium cap. primo, ſecundo, & ſeptimo manifeſtat libros de Anima, de ſenſu & ſenſibili, de ſomno & vigilia antecedere, adeò vt de re hac apud eos qui accurate perpendunt verba philoſo-

Auicennæ. Alberti. & Aegidij error.

Auerrois error.

Aliorum error.

phi nulla debeat eſſe difficultas: ſolùm hanc ſententiam dubiam reddũt poſtrema verba libri de partibus animalium, per quæ Ariſtoteles librum de partibus cum libro de generatione connectit, nam inquit: ſed de partibus Animalium quam ob cauſam quæque ſint dictum iam eſt per omnia Animalium genera, quæ cum explicata ſint, ſequitur vt de generationibus animaliũ diſſeramus: pariter in principio libri de generatione Animalium videtur eos nectere cum libris de partibus inquiens, cum de cæteris Animalium partibus; tum vniuersè, tum ſigillatim dictum iam ſit, &c. nonulli viri eruditi conſiderantes pugnam inter epilogum libri de partibus, & illum de communi animalium motu, quoniam epilogo de communi motu miro conſenſu varia Ariſtotelis dicta, & ratio reſpondent, aſſeruerunt deprauatum eſſe epilogum libri de partibus: propterea mutarunt illum, vt permutatus legitur in Auerroe, ſed quoniam permutatio contextuum eſt res ſummopere dubia, propterea ſine permutatione dicamus, eundem librum varia conſideratione, & ratione diuerſorum poſſe cum varijs libris necti; libri de generatione, per generationem, de qua, vt de propria materia agitur, rectè numerantur inter libros, in quibus diſſeritur de operationibus, & affectionibus animalium: at ratione partium, & initij generationis nectuntur cum libris de partibus; primus eſt ordo præcipuus & abſolutè ſumptus: alter eſt ordo in parte, & ratione alicuius; veluti quartus meteorum ratione rei de qua agitur ſequitur poſt tres libros meteorum, at ratione initiorum à quibus pendent declarata in eo libro, iungitur cum ſecundo de ortu & interitu. Ad hos duos nexus reſpiciens Ariſtoteles, mira arte vtrunque denotauit, & libros de generatione animalium cum vtriſque coniunxit: adeò vt ea, quæ primo intuitu videtur

contradictio,

contradictio, dum accuratè conſideratur, ſit explicatio curæ, & diligentiæ Ariſtotelis.

De præſtantia cognitionis Animæ. Cap. VI.

HVMANARVM rerũ illę quę pręclare ſunt etiam ſunt arduæ, & difficiles, quod in animæ cognitione maniſeſtiſſimè patet, quæ ſimul & præclara, & ardua eſt. Præſtantiſſima eſt conſideratio Animæ cum ratione generis, tum ratione propria: ratione generis quia ſpeculatrix eſt, quæ actioni & effectioni præfertur; ratione autem propria: quia eſt de forma omnium formarum, quæ ad phyſicum pertinent, præſtantiſſima, adeo quod ſi ad rem de qua agitur reſpicimus; ſoli diuinæ ſcientiæ cedat; inſuper ei præſtantia conuenit ratione acriuiæ, per quam vocem debemus facilitatem cognitionis eius intelligere, non enim facilis eſt cognitio animæ, nec facilitas indicat præſtantiam, ſed intelligere debemus eam certitudinem, quæ in exacto, firmo, & conſtanti conſiderationis genere poſita eſt, quod certum cum difficili minimè pugnat, ideo ſcientia de Anima ſimul & certa & difficilis eſt veluti etiam metaphyſica: Hæc certitudo conuenit conſiderationi animæ, non quia verſetur in conſideratione intellectus qui ſeparatus eſt, vt cenſuit Philoponus; nam ſcientia menſurari debet per id quod eſt eius proprium, at agere de eſſentia intellectus ad phyſicum non pertinet, vt iam apparuit. Nonnulli, qui Alexandro ſunt addicti, inquiunt certitudinem ex eo prouenire, quia in tertio de Anima agitur de intellectu agente qui Deus eſt. Inſuper agitur de intellectu in actu; qui eſt ipſum intelligibile ſine materia, quibus exactiſſima conuenit acriuia, quæ ſententia longè diſtat à vero, tum

Acriuia animæ qd ſit.

Certitudo conſiderationi animæ quomodo conueniat.

Philoponi opinio.

Alexandri ſententia.

quia

Euerſio huius opinionis. quia intellectus agens non eſt Deus; tum inſuper quia Ariſt. inquit ſcientiam de Anima eſſe certam, non ſcientiā de Deo ſiue de intelligibili: certitudo debet referri ad rem de qua agitur, res de qua agitur debet conſiderari vt definitur, Res de qua agitur eſt anima non Deus ſiue intelligibile: definitio eſt per corpus, & per materiam, ad hæc itaque reſpiciendum eſt non ad Deum & intelligibile. Simplicius aſſerit ſcientiæ de Anima conuenire certitudinem quia ſibi proxima eſt, & in ſeipſam conuertitur, quæ ſententia etiam non eſt vera: primò, quia multa ſunt nobis proxima quibus non conuenit Acriuia, vt patet de ſcientia ciuili quæ eſt de humanis actionibus, cui tamen ex ſententia Ariſtotelis in primo de moribus acriuia non conuenit. Præterea ea conuerſio animæ in ſe ſine paſſione poſita à Simplicio Platonica potius quàm peripatetica eſt, nam anima ſine phantaſmate nihil intelligit, & ſolùm ſe cognoſcit cognoſcendo alia, vt in tertio de Anima aſſeritur, accedit quòd ſi quæ animæ pars in ſe conuertitur, ea eſt intellectus, qui nec ratione ſuæ eſſentiæ neque ratione conuerſionis in ſe ſine paſſione ad phyſicum pertinet, ſed ad alium.

Simplicij opinio.

Reiectio huius opinionis.

Et prætermiſſis aliorum ſententijs, dico ſcientiæ de Anima conuenire Acriuiam, quoniam eſt de principio, quod eſt natura prius, & minus per materiam natum permutari, omni alio principio ad phyſicum propriè pertinente, nam anima forma eſt, quæ eſt natura prior quàm materia, quoniam materia ſolùm eſt prior origine: inſuper eſt forma, quæ magis quàm cæteræ à materia pendentes eſt eleuata ſupra materiam, & cæteris omnibus præſtat, & cum magis diſtet à formis elementorum minus per materiam variatur, & hæc ſunt uera de anima nutriente & ſentiente: quòd ſi etiam ad conſiderationem intellectus conuertimur quatenus ad phy-

Opinio propria.

ſicum

ſicum pertinet, ratione quoque eius hæc conſideratio erit certa, cum ſit de re apprimè ſupra materiam eleuata: & hæ ſunt cauſæ quæ ſcientiam reddunt certam, ut ex primo Metaphyſicæ, & ex primo Poſter. colligitur. Neque etiam ea certitudinis ratio negligenda eſt, quæ à Themiſtio affertur, dum dicitur quòd ſcientia de Anima eſt certa, quoniam per eam explicatur pręcipuum, & commune principium omnium ſcientiarum nempè intellectus, qui quamuis non attineat ad phyſicum ratione ſuæ eſſentiæ, attinet tamen ratione modi intelligendi, ut eſt initium noſtræ intellectionis. Ex dictis patet, quòd ſi ſcientia de Anima confertur cum alijs partibus naturalis Philoſophiæ, ea eſt certior alijs; ſi confertur cum ſcientia diuina, incertior ea eſt; ſi confertur cum Mathematica, in parte eſt certior, in parte eſt incertior; eſt certior abſolutè, incertior ratione noſtri; eſt incertior ratione modi abſtractionis, certior ratione rei de qua agitur.

Themiſtij opinio laudatur.

De difficultate cognitionis Animæ. Cap. VII.

ANIMAM eſſe difficillimæ cognitionis manifeſtant opiniones uariæ philoſophorum, quæ de ea circumferuntur, nam dum eleuamur ſupra ea quæ ſenſibus uſurpantur titubamus, & nil certi habemus, quod proferamus: uaria ſunt quæ cognitionem Animæ arduam reddunt, cum enim Anima per definitionem manifeſtari debeat, ſiue vertamur ad attinentia ad definitionem, ſiue ad attinentia ad rem definiendam ſemper arduæ occurrunt nobis difficultates: & prætermiſſis illis, quæ ad definitionem pertinent, quæ ſunt communes alijs omnibus rebus per definitionem explicandis, perpendendo difficultates

Ex tribus fontibus oritur difficultas cognitionis animæ.

cultates quæ ex Anima definienda oriuntur, hæ ex tribus fontibus effluunt, nempe uel ex antecedentibus, vel ex comitantibus, uel ex ſubſequentibus: ſi ad antecedentia reſpicimus, dubitamus de genere remoto, & proximo ipſius Animæ. Antiqui enim ad varia prædicamenta. Animam retulerunt ſi conuertimur ad ea quæ comitantur naturam Animæ, dubitamus an diuidi poſſit, uel ne: & ſi poſſit diuidi, quo diuiſionis genere diuidi poſſit, multiplex enim eſt genus diuiſionis: & ad hanc partem pertinet ea dubitatio an omnium eius partium ſit vna communis ratio & definitio, vel ea communis ratio non detur, ſed ſingularum diſtincta ſit: demum ſi conuertimur ad ſubſequentia, occurrunt nobis difficultates pertinentes ad eius opera, quarum ea eſt præcipua an anima habeat opus proprium, & contingat à corpore ſeiungi, uel eo careat, & propterea nequeat ſeiungi, quæ dubitatio circa ſolam verſatur intellectionem: proculdubio enim cæterarum animæ partium operationes ſunt communes cum corpore, & propterea per corpus definiri debent, & ad Phyſicum pertinent cum operationes illæ, tum facultates quæ ſunt initia earum. Nam quintuplex aſſignatur definiendi genus, unum Phyſicum, & non eſt ſine materia, quamuis præſertim explicet formam. Alterum dialecticum, & dicitur per formam, hoc eſt per communia & probabilia. Tertium Mathematicum, & eſt explicatio formæ à materia pendentis cum abſtractione à materia. Quartum diuinum, quod non ex abſtractione, ſed potius rei abſtractæ eſſe dicitur, ſolus enim diuinus ualet eſſentiam à materia non pendentem attingere. Poſtremum eſt particularis artificis, qui formas in materia per artem efficiendas conſiderat, ideo per formam, & per materiam definit, quamuis frequenter definitiones

Genus definiendi qntuplex.

quibus

quibus vtitur à Phyſico recipiat: cum eo in parte conuenit ciuilis philoſophus, qui in humanis verſatur actionibus: cum itaque animæ cognitio ſit præclara, ſit vtilis, ſit ardua, iure accuratiſſimi eſſe debemus in eius indagatione.

Opiniones antiquorum de Anima. Cap. VIII.

INTER cætera, quæ nos ſummopere diſponunt & excitant ad ueritatis inquiſitionem, cognitio opinionis aliorum, & earum reiectio principatum obtinet: nam ut ex ſententia Hypocratis non pura corpora quò magis nutries eò magis ledes, ita ex ſententia Platonis non puros animos quò magis ornare ſcientia conaberis, eò magis peruertes. Purgandi itaq; primò ſunt Animi à falſis opinionibus, quod rectè fit referendo, & reijciendo aliorum inanes, & mendaces ſententias, quod præſertim faciendum eſt in rei difficilis indagatione: quia facilius eſt cognoſcere quid res non ſit quàm quid ſit: ideò cognoſcendo quid non ſit, paramur ad inueniendum quid ſit: præterea percurrendo aliorum ſententias, excitamur, reddimur rationibus copioſiores, certius rem indicamus, firmiusque in iudicio perſiſtimus, & demum iudicamus non odio, ſed ratione, veritatiſque deſiderio moneri ad noſtram ſententiam ferendam. Et cum hoc in omni accurata explicatione ſeruandum ſit, præſertim fieri debet in Animæ conſideratione, ob eius difficultatem, præſtantiam, utilitatem, ac opinionum varietatem: perpendamus itaque quid de Anima ſenſerint antiqui. Quoniam Anima ſenſum fugit, & per eius opera inquiri, & cognoſci debet: propterea ad opera conuerſi duo præcipua ſunt quæ ad eius cognitionem

Duo ſunt quę nos cõducunt ad cognitionẽ Animæ.

nos ducunt; cognitio nempe, & motus: per hæc progreſſi ſunt ueteres ad animæ inquiſitionem, & per hæç animam deſcripſerunt; quibus addidere nonnulli incorporeum, uel tenue corpus. Et cum in hoc conuenerint, innumeræ deinde, de eſſentia animæ prodiere ſententiæ, quæ omnes in quatuor ueluti claſſes, & ad quatuor capita rediguntur. Primi, qui Philoſophari cęperunt, à ſenſibilibus excitati, nil ſupra corpus excogitantes, animam, & nedum animam, immo & Deum eſſe corpus exiſtimarunt: & hi uel putauerunt eam eſſe corpus ſimplex, ut Heraclydes Ponticus, corpus æthereum Heſiodus, & Pronopides terreum, Thales aqueum, Diogenes aereum, Heraclytus igneum: alij eſſe corpus compoſitum, ut Democritus, Leucippus, Epicurus conflatum ex Athomis, Empedocles ex quatuor elementis, Boethius ex igne & aere: mox alij cognoſcentes eam non eſſe corpus, ſed incorpoream aſſeruerunt eſſe formam, non formam quæ ſit ſubſtantia, ſed formam quæ accidens ſit. Huius ſecundæ claſſis fuit Zenocrates, qui Animam dixit numerum ſe mouentem: alij calorem, ut Cleantes, Antipater, Zeno Cittieus, Nonnulli frigus; quidam harmoniam: hi omnes eatenus conueniunt, quatenus animam exiſtimarunt eſſe formam accidentis extenſam. Ad tertium caput redigentur illi qui animam eſſe accidens crediderunt & minimè extenſum, ſed puncti inſtar indiuiduum purum, & lucidum, & id uel in quadam potiore corporis parte locatum, ut puta in cerebro aut corde quemadmodum Chryſippus, & Archelaus dixere, uel eſſe quid liberius nulli parti affixum, ab omniq́ue determinato ſitu ſecluſum, totumq́ue parti cuilibet corporis præſens, ut Zenophanes Colophonius, Aſclepiades, Ariſtoxenus Critolausq́ue aſſeruerunt. Alij demum cogno-

Quatuor opiniones animæ eſſentia.

Secunda opinio.

Tertia opinio.

Quarta opinio.

cognouerunt animam non accidens ſed ſubſtantiam, non corpoream ſed incorpoream eſſe, vt Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, & horum aſſeclæ, qui in tres partes ſunt diſtributi; uel enim exiſtimarunt omnem Animam eſſe formam diuinam & immortalem, ut Numenius, multi ex Pythagoreis, & ex Platonicis illi qui Animam viuentium eſſe cenſuerunt portionem Animæ mundi; Alij ex aduerſo omnem animam dixere pendere à corpore, & morti eſſe obnoxiam, vt Alexander, medicorum plurimi, & ſectatores. Alij demum putarunt animam in parte mortalem, in parte æternam, ut plurimi ex Platonicis, & Peripateticis, qui nutrientem & ſentientem dixere cum corpore oriri & interire, intellectum ſolum eſſe æternum. Plura his quatuor dinumeratis opinionum capita excogitare non ualemus, niſi pro quinto capite eorum ſententiam referamus, qui negarunt dari animam, & animæ nomen eſſe inane penitus exiſtimarunt, cuius opinionis fuit Pherecrates Phtiote ex Dicearchi ſententia referente Cicerone primo Tuſculanarum quæſtionum.

Animam non eſſe corpus. Cap. IX.

QVI animam eſſe corpus exiſtimarunt, in eam venere ſententiam, quia ſimile ſuo ſimili cognoſci putarunt, & quia anima iudex eſt corporum; ideo ex eo primo corpore videtur debere conſtare quod cæterorum eſt initium, ut ſic ualeat omnium eſſe iudex: quod etiam ratione à motu ſumpta comprobarunt, nam Anima mouet corpus, mouere non poteſt niſi tangat, tactus eſt proprius corporum, eſt itaque Anima corpus. Demum quod unà cum corpore patitur, quod uiget uigente cor- Fundamẽta primæ opinionis reijciuntur multis rationib.

pore, languet eo languente, & curatur per curam corporis, nil niſi corpus eſſe poteſt. Propterea Lucretius libro 3.ex ſententia Epicuri colligebat.

Ergo Corpoream naturam animi eſſe neceſſe eſt
Corporeis quoniam Telis, ictuq; laborat.
Ac inſuper.
Eſt igitur calor, ac uentus uitalis in ipſo
Corpore, qui nobis moribundos deſerit artus.

Hanc ſententiam exactiſſimè reiecerunt Pithagoras, Plato, Ariſtoteles: nos quoque Animam non eſſe corpus cognoſcere poſſumus, primò ex actione: nam corpus ad vnum aliquod efficiendum determinatum eſt, ut ignis ad calefaciendum, at ab anima oppoſita proueniunt; corpus ad vnum motum eſt determinatum, ut leue ad motum ſurſum, graue ad motum deorſum, anima quouis motu mouere valet. Præterea corpus non valet aliud mouere niſi primò & ipſum moueatur, nec valeat moueri niſi diuidatur in motorem & mobile: cum itaque anima moueat animalia, ſi erit corpus, ergo illa primò ex ſe mouebitur, ergo conſtabit ex motore, & mobili; quæram de motore, uel corpus eſt uel ne, & ſic vel dabitur progreſſus in infinitum, quod dici non debet, vel eſt deueniendum ad primum quod mouet, & non mouetur, & conſequenter non eſt corpus; & quia huiuſmodi eſt anima, ea itaque non eſt corpus. Præterea idipſum oſtenditur per attinentia ad cognitionem, nam ſi Anima eſſet corpus, non ſecus in ea reciperentur imagines rerum ac in alijs corporibus, & propterea non cognoſceret; quia cognitio non fit per corpoream receptionem: & longè minus intelligeret, quoniam intellectio non eſt ſine ſeparatione à corpore. Præterea operatio corporum non eſt ſine tempore, iudicium ani-

[Margin: Prima ratio.]
[Margin: Secunda ratio.]

me etiam ſine tempore eſſe poteſt. Tertiò id ipſum patet per conditiones corporum quæ Animæ non conueniunt, omne corpus cadit ſub ſenſum, Anima nullo ſenſu percipitur:per receſſum corporis minuitur id quod remanet, recedente anima corpus non minuitur: Præterea corpus non meat per corpus, Anima autem meat per vniuerſum uiuentis corpus, cum uniuerſum animal ſit anima præditum: præterea corpus non perficit corpora, non ea regit & dirigit; at anima perficit, regit, & dirigit, eſt itaque aliquid eminentius corpore: inſuper ex duobus corporibus ſincerè ſeruatis non fit unum per ſe, ex Anima & corpore optimè fit unum: corpus omne eſt figura præditum, & ita eſt in alio, ut contineatur ab alio; Animæ figura nulla conuenit, & ita eſt in uiuente ut uiuens contineat, eaque recedente id diſſoluatur: non itaque Anima corpus eſt. Præterea ut rectè dicebat Plotinus, temperantia, iuſtitia, prudentia non eſſent uirtutes eius, non enim cenſeri debent uirtutes rei corporeæ. Demum patet idiſpſum ex perceptione uoluptatis & doloris, nam ſi digitus læditur uel delectatione afficitur, ſtatim in uniuerſo corpore, & in principe eius parte, dolor & voluptas percipitur. Quod non contingeret ſi Anima eſſet corpus, non enim ex affectione unius partis corporis uniuerſum ſine tempore afficitur: falluntur itaque proculdubio, qui animam eſſe corpus exiſtimant, ut rectè etiam demonſtrauit Them. in ſecundo de Anima. Neque alicuius momenti ſunt fundamenta eorum, dum enim inquiunt ſimile ſimili cognoſci, ſi accipiunt ſimile actu id ſalſum eſt, quia tunc non magis vnum eſſet iudex alterius, quàm è contra, accipiendo ſimile poteſtate, huiuſmodi eſt Anima, quæ eſt nata fieri omnia. Ad aliud ſumptum ex motu dicendum eſt, quòd & debet fieri omnia non modo corporeo,

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Solutio fundamentorum contrariæ opinionis.

poreo, quia ſic non iudicaret, ſed modo incorporeo, & conſequenter anima debet eſſe incorporea: anima non per ſe mouetur, ſed initium eſt motus, & mouens tangit non tactu corporeo, ſed incorporeo, qui eſt intimior quàm corporeus. Rationes Lucretij ſolùm indicant animam uel pro eſſe, vel pro operatione pendere à corpore. & ſi quis dicat animam uideri corpus, quoniam ligato membro aliquo, non ualet tranſire, & diffundi, quod non eueniret ſi eſſet incorporea: Dico id ex eo prouenire, quoniam anima in corde reſidet, & non diffunditur vis eius ſine ſpiritu, uel tenui ſanguine tamquam communi inſtrumento eius.

Quòd Anima ſit Accidens. Cap. X.

ALII reperti ſunt, qui cum nouiſſent animam non eſſe corpus; ſed incorpoream, affirmarunt eam eſſe accidens: quorum ſententia ſatis conſpicuis, & firmis rationibus poteſt cõprobari; & primò, quia quod aduenit corpori in actu accidens eſſe dicitur, huiuſmodi eſt anima; ea enim ſemper in corpore, quod miſtum eſt & actu, recipitur. Præterea anima videtur eſſe calor, quoniam præſente vitali calore adeſt anima, eo recedente anima abeſt: hinc cor, quoniam caloris eſt fons, etiam animæ ſedes eſſe dicitur: & cum anima ſit calor, propterea viuentia egent nutritione, & refrigeratione. Præterea anima videtur eſſe temperamentum, vt Galenus ſæpe affirmauit, & præſertim in eo libro quòd animi mores ſequantur temperamentum, quod ita oſtenditur id eſt anima in quo poſita eſt vita, nam vita eſt operatio immanens ex ſententia Ariſtotelis nono Metaphyſicæ. 16. at vita poſita eſt in temperamento: quod probo quia in eo eſt poſita vita in

Fundamẽta ſecundæ opinionis pluribus rationibus reijciũtur.

quo

quo poſita eſt ſanitas,& ægritudo; at ſanitas, & ægritudo præſertim in ipſo temperamento conſiderantur, quare anima temperamentum eſſe videtur. Præterea id eſt anima, quod inſequuntur animæ affectiones;at affectiones animæ inſequunrur corporis temperamentum,& ex eius permutatione permutantur: quod patet, nam ex temperaméti varietate nonnulli ſunt mites, alij ad iram & furorem proni, nonnulli valent ſenſibus,pollent imaginatione, memoria, ingenio, ad ſapientiam ſunt apti: alij è contra,acumine ſenſuum ſunt deſtituti,carent memoria, ſunt inepti ad ſcientias, eſt itaque anima temperamentum: & præſertim hoc apparet de anima nutriente, quia per modum naturæ operatur, & opera eius nil aliud eam eſſe manifeſtant niſi temperamentum. Demum, quia conſpicua apparet animæ permutatio ex permutatione qualitatum,vel efficientium,vel patientium, nec non ex permutatione alimentorum,& aliorum conſimilium temperamento conferentium: ideò iure colligere valemus animam eſſe temperamentum:& cum temperamentum ſit, poſſumus inferre eam eſſe accidens, quia ex accidentibus conſurgit:& qui aſſerunt temperamentum eſſe ſubſtantiam, longè recedunt à vero. Hæc ſententia proculdubio vera non eſt, propterea rectè inquit Auerroes in ſecundo de anima comméto ſecundo, aſſerere animam eſſe accidens alienum eſt à vero, vt dat nobis prima cognitio naturalis, hoc eſt vt dat nobis naturalis noſtra ad verum facilitas & ea cognitio quæ ab operibus ſub ſenſum cadentibus deſumitur, à quibus vniuerſa noſtra cognitio ortum ducit. Inquiunt nonnulli quòd niſi præſupponamus animam poſſe à corpore ſeiungi, vel dari operationem aliquam animæ ſeiunctam non pendentem ex corpore, & æternam: minimè valemus oſtendere animam eſſe ſubſtantiam, immo cum an

tiquis

tiquis defendere valemus ſolam materiam eſſe ſubſtantiam rerum; quam opinionem minimè cenſeo veram; tum quia dum Ariſtoteles oſtendit formam eſſe naturam & ſubſtantiã, minimè illis ſuppoſitionibus vtitur, vt patet ex ſecundo Phyſicorum, & ſeptimo metaph. tum inſuper quia animam poſſe ſeiungi, & dari operationem propriam ſeiunctam, eſt quid obſcurius quàm quod forma ſit ſubſtantia: tum demum quia ea fundamenta ſolùm oſtenderent Animam natam à corpori ſeiungi eſſe ſubſtantiam, non autem cæteras formas à materia pendentes.

Oſtenditur quod Anima non ſit accidens. Cap. XI.

QVOD Anima minimè accidens ſed ſubſtantia ſit patere poteſt, perpendendo munerum functiones illius, quæ adeo ſunt præclaræ, vt à nullo accidente prouenire valeant, nã anima conſtituit ſubſtãntiam compoſitam, & ei tribuit eſſe, quod patet: dum enim abeſt Anima, ſolùm poteſtate dicitur Animal, at dum adeſt iam actum eſt animal; adeò vt per materiam ſit potentia animal; per animam verò actu, per materiam dicatur in potẽtia ad propriam naturam, per animam iam actu dicitur ſua natura, ſuaq; eſſentia præditum; Anima itaque eſt eſſentia, ſubſtantia, & natura animantium, propterea ea recedente priuatur animal ſua natura, amittit nomen, amittit definitionem

Secunda ratio. explicantem quid ſit Animal. Præterea hoc ipſum patet ex eo, quia anima eſt primum principium operationis, primum autem principium dicitur natura & ſubſtantia rei: quòd autem ea ſit primum principium patet conſiderando motum in loco, qui cum debeat fieri ab agente diſtincto à patiente, ab Anima prouenit; quæ

vt

vt princeps compoſiti pars, mouet & agit, materia ſolùm patitur, non itaque eſt accidens, cum accidens ſuum ſubiectum mouere non valeat, & cum accidens non ſit nobilius ſubſtantia, neque ſit initium præſtantius ea. Accedit, quòd accidens non pugnat cum ſuo ſubiecto: Anima pugnat cum propenſione pendente à temperamento. Accidens non valet iudicare & cognoſcere accidentia & ſubſtantias, Anima cognoſcit. Non valet accidens in ſe conuerti, nec recipere vniuerſales & abiunctas notiones, vt valet anima rationis particeps: opus accidentis eſt vnum & terminatum, anima ad oppoſita eſt apta. Non eſt accidens Mundi & partium eius abſolutio, decor, ac ſplendor, non eſt ordinis origo, non ducit ſubſtantiam, non eſt initium ſubſtantiæ in triplici genere cauſæ, quæ omnia proculdubio animæ conueniunt. Accedit demum, quòd accidens non eſt natum recipere habitus, & aſſuetudine corrigi; at anima cum morales tum rationales habitus recipit, & recta educatione ac aſſuetudine perficitur. Neque eſt difficile reſpondere rationibus alterius partis, nam dum inquiunt animam aduenire ſubiecto quod actu eſt; reſpondeo ſubiectum animæ eſſe actu, non abſolutè, ſed in parte: eſt enim cum eo actu, qui in vlteriorem ordinatur, ſubordinatæ enim ſunt ſubſtantiæ formæ, vt in tertio cœli 67. affirmauit Auerroes. Ad aliud, cum oſtenditur animam eſſe calorem, rectè reſpondet Ariſtoteles eam non eſſe calorem, attamen non eſſe ſine calore, calor eſt inſtrumentum eius apprimè neceſſarium, propterea cum animæ, tum caloris eadem eſt ſedes. Ad aliud cum oſtenditur animam eſſe temperamentum, reſpondeo eam minimè eſſe temperamentum, ſed certum expoſcere temperamentum tanquam ſui proximi ſubiecti neceſſariam di-

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

Sexta ratio.

Septima ratio.

Octaua ratio.

Solutio rationum aduerſariarũ

ſpoſitionem, & cum temperamentum ſit in parte inſtrumentum animæ, in parte diſpoſitio ſubiecti & cauſa ſine qua non, ac etiam modo quodam ſit calcar & ſtimulus ac fomes, perturbationum, iure affectiones animæ videntur inſequi temperamentum, cum rectius dicantur inſequi animam, at non ſine determinato temperamento: & hoc patet, quoniam non mutato temperamento, per conuenientes aſſuetudines poſſunt mutari mores, vt cum Socrates, tum Alexander manifeſtarunt.

Finis Libri Primi.

PETRI DVODI
FRANCISCI D. MARCI PROCVRATORIS FILII
De Anima Liber Secundus.
CAPVT PRIMVM.

REIECTIS nonnullis erroribus, qui Animam quaſi nubes reddebant obſcuram, facilius modò mentis aciem in eam conuertere eiusq; naturam conſiderare valemus. Iam conſtat ex dictis hactenus Animam non eſſe accidens, uel extenſum, uel non extenſum, remanet itaque ut ſit forma ſubſtantiæ: verùm, quæ nam huiſinodi Forma ſit ſummopere latet: quam vt inueniamus poſt habitis accidentium prædicamentis, ad quæ Anima non pertinet, accipiendo ſubſtantiam ad quam anima redigitur ita dicamus: ſubſtantia diuiditur in materiam, formam, & compoſitum, quæ diuiſio non eſt generis in ſuas ſpe-

cies, ſed eſt diuiſio uocis ab uno, in principia & compoſitum, quod compoſitum conſtituit proprium genus prædicamenti ſubſtantiæ: & iure hac diuiſione utimur, cum enim Anima ſit forma, minimè continetur ut ſpecies ſub prædicamento ſubſtantiæ, ſed inter eius principia numeratur: propterea ſubſtantia in cõpoſitum, & ſua principia diuidenda fuit. Anima non eſt corpus uel ſimplex, uel compoſitum, ut iam patuit: neque etiam eſt materia, tum quia materia cum remaneat, anima modò adeſt modò abeſt, tum quia materia eſt poteſtate, eſt nata per formam perfici, eſt ſubiectum formæ: Anima uerò eſt perfectio, & eſt in ſubiecto. Quod patet, quia remanente ſubiecto anima ſui præſentia illud perficit, ſui abſentia deſerit illud omni perfectione destitutum: Demum ſi anima eſt materia, uel prima uel proxima: non prima, ut ex ſe conſtat; non proxima quia ea eſt corpus ſub ſenſum cadens, quod animæ non conuenit: eſt itaque Anima formà. Verùm quia formarum genus latum eſt, ut conſtet quæ nam forma ſit, perpendamus quid ſit de ratione formæ: forma omnis eſt entelechia ſiue perfectio, & actus quemadmodum homo omnis eſt ſubſtantia, ideo Anima quoque cum ſit forma erit actus & perfectio, qui actus ad formam ſe habet, ut commune genus ab uno ad contenta ſub eo, in quod genus forma reſoluenda fuit, ut clarius & reſolutius appareret quid nam ea ſit, & Platonis error planius exploderetur putantis animam eſſe eſſentialem quendam motum cum itaque forma, & Anima pro genere actum habeat, ſubdiuiditur actus in primũ, & ſecundum. Ratio diuiſionis eſt, quia munus primę perfectionis eſt eſſe initium internum & rem conſtituere, ab initio autem, & à re conſtituta, ne ſint inania, prodit operatio, quæ eſt poſtrema rei abſolutio & perfectio.

Quid

Quid intelligere debeamus per primum, & ſecundum actum. Cap. II.

Ciceronis opinio reijcitur de entelechia.

NOMINE primi actus non perennem motum intelligere debemus, vt perperam cenſuit Cicero,qui explicans ſententiam Ariſtotelis de Entelechia, nil dicere potuit cum ea pugnantius:

Aliorũ opinio de entelechia reijcitur.

neque eis eſt aſſentiendum,qui inquiunt Entelechiæ nomen ſolam denotare ſubſtantiæ formam, cum Ariſtoteles ſæpe ea voce vtatur pro denotando motu,& alijs generibus accidentium,vt patet ex tertio phyſicorum, & ex alijs locis: eſt itaque nomen primi actus, vel primæ entelechiæ commune ad omnem formam:demum eorum quoque ſententiæ ſubſcribendum non eſt,

Portij ſententia reijcitur.

qui Entelechiam putarunt ex ſententia Ariſtotelis ſolã denotare formam à materia pendentem, vt exiſtimauit Portius; qui manifeſtiſſimè decipiuntur, cum Ariſtoteles in 12. Metaph. 49. etiam Deum nomine primæ Entelechiæ deſignauerit.

Propria opinio.

Colligamus itaque primæ endelechiæ vocem formis omnibus conuenire,primò tamen formis ſubſtantiæ, ſecundò etiam formis accidentium: at perpẽdamus quid denotetur per ſecundum actũ.

Auerrois opinio de ſecundo actu.

Hac de re duæ ſunt opiniones: cenſet Auerroes & cum eo clariſſimus Genua & alij actum ſecundum eſſe formam operantem, actum verò primum eſſe formam non operantem: hanc nituntur comprobare ex Ariſtotele: qui cum ſecaſſet ſubſtantiam in materiam, formam,& compoſitum, formam ſub diuiſione contentam actum nuncupat, quare actus ibi aſſumptus ſubſtantia eſt:quod ipſe met Ariſt. affirmat inquiens, ſubſtantia autem actus eſt, & ſtatim accipiens actum qui eſt ſubſtantia, & eſt

actus

actus corporis organici, diuidit illum in textu quinto in primum & ſecundum, quare nedum primus verùm etiã ſecundus actus ſubſtantia erit: & idipſum ex eo patere poteſt, quia niſi ſecundus actus eſſet ſubſtantia, illa diuiſio ad rem non faceret, non enim erat dubium an Anima ſit accidens, cum ex prima ſubſtantiæ diuiſione appareat Animam eſſe ſubſtantiæ formam. Hæc opinio longiſſimè diſtat à vero, & inanibus nititur fundamentis, proculdubio enim actus primus eſt ipſa forma, actus verò ſecundus eſt non forma operans, ſed ſola operatio: hoc nobis oſtendunt omnia exempla Ariſtotelis, inquit enim actum ſecundum eſſe vt ſpeculatio, vt inciſio, vt viſio, vt vigilia, hæ omnes ſunt operationes, non formę operantes, vt ex ſe conſtat. Præterea quòd operatio dicatur actus ſecundus; patet manifeſtiſſimè ex Ariſtotele in tertio phyſicorum: vbi de motu agens, illum nuncupat energiam, & entelechiam cum motoris tum mobilis, cum itaque motus dicatur actus motoris, & ſit non actus primus motoris ſed ſecundus, ac inſuper ſit non forma operans ſed ſola operatio, notum eſt ex ſententia Ariſtotelis ſolam operationem eſſe ſecũdum actum: hinc ſæpe rem eandem energiæ, & entelechiæ nomine appellat, at energia propriè operatio eſt non forma operans, quod colligitur ex *9*. Metaph. *16*. vbi Ariſtoteles energiæ nomen à nomine operationis eſſe ductum affirmat. Hoc comprobatur, quia forma antequam operetur, dicitur eſſe in potentia vt operetur, & in potentia ad actum ſecundũ, & cum ſit in potentia ad opus, iure opus ſolum cenſeri debet actus ſecundus, forma autem operans non eſt vnus actus, ſed aggregatum ex duobus actibus, quod aggregatum dicitur in actu, non actus: nam entelechia proculdubio perfectionem ſignificat, operatio eſt perfectio, forma verò operans dicitur non perfectio

Auerrois, & ſectatorũ opinio reijcitur.

ſed

ſed perfectione poſtrema prædita, quòd manifeſtè dicitur ab Ariſtotele in ſecundo de anima 53. & 56. contextibus, vbi ſenſum operantem, ac ſcientiæ habitum ſpeculantem, in actu eſſe dicit, non autem aſſerit eſſe actus, nam actus eſt quid ſimplex. Demum hoc manifeſtiſſimè patet ex eo, quia Anima nutriens ſemper operatur: quouſque enim viuimus, eouſque nutrimur, inquit Ariſtoteles, quare animæ nutrienti definitio Animæ non conueniet, quod manifeſtè falſum eſt. Auerroes, cum nitatur hanc difficultatem ſoluere, in maiora labitur abſurda, & longè clarius falluntur illi, qui ſoluendo inquiunt animam nutrientem ratione nutritionis ſemper operari, at ratione accretionis uel generationis non ſemper, & propterea ratione harum operationum eſſe actum primum. Error eſt conſpicuus, primò quia ſequeretur Animæ nutrienti, ut nutriens eſt, non conuenire definitionem. Præterea quia ſi Anima operans deſinit eſſe actus primus, ut iſti cenſent, & ſolùm eſt actus ſecundus, ſequeretur definitionem animæ non ſemper conuenire Animæ, ſed ſolùm quando non operatur, dum verò operabitur, deſinet eſſe actus primus, & conſequenter non ei conueniet definitio animæ, & propterea anima operans non erit anima, quo nil abſurdius excogitari poteſt.

Solutio difficultatum. Cap. III.

FVNDAMENTA aſſerentium actum ſecundum eſſe formam operantem facilè reijciuntur. Et ad primum, quia Ariſtoteles formam illam quæ diuiſionis ſubſtantiæ eſt membrum aſſerit eſſe actum, & illum quem dixit eſſe ſubſtantiam & actum corporis diuidit in primum & ſecundum, **Primæ rationis ſolutio.**

cundum, quare &cæt. Reſpondeo, Ariſtoteles manifeſtauit Animam eſſe eam ſubſtantiam, quæ eſt forma; tenebatur hanc ſubſtantiam explicare, vt reſolutius appareret quid Anima ſit, non poteſt forma in aliud rectè reſolui niſi in entelechiam ſiue perfectionem, quæ entelechia eſt genus ab vno, ideo inquit anima eſt ea ſubſtantia, quæ dicitur actus ſiue perfectio, hæc eſt explicatio per genus: at genus non conuertitur cum eo cuius eſt genus, ideo non debet colligi, ergo omnis entelechia eſt forma ſiue ſubſtantia, vt male nonnulli colligunt: & cum Ariſtoteles formam in entelechiam reſſoluiſſet, cognoſcens, quòd entelechię nomen eſt quid communius, vt omnes Græci affirmant, ideò hoc commune diuidit, vt eligat ex diuiſione illud membrum, quod formæ conuenit: concedo itaque entelechiæ nomen dici de forma, quæ eſt ſubſtantia, & de forma corporis inſtrumentarij, at non conuerti cum ea, ſed in plus ſe habere: & vera ſunt hæc omnia, ea forma, quæ eſt ſubſtantia, eſt entelechia, & ea quæ eſt forma corporis eſt entelechia, at nego conſequentiam dum infertur ergo omnis entelechia eſt ſubſtantia, & eſt forma corporis. Et dum additur, quòd tunc ea diuiſio ad rem non faceret, reſpondeo, quòd maximè fuit neceſſaria duplici præſertim de cauſa. Primò, quia cum Anima ſit ſubſtantia, ut patuit ex prima diuiſione, debuit explicari hoc per definitionem, ideò debuit excludi actus ſecundus, qui accidens eſt non ſubſtantia, immo ſi actus ſecundus eſſet forma operans, inutiliter daretur ea diſtinctio, quoniam Anima, ſiue operetur ſiue non operetur ſemper eſt Anima; nec ex eo, quia operatur, deſinit eſſe Anima. Inſuper alia quoque de cauſa data eſt ab Ariſtotele ea diſtinctio, quoniam nouit animam à Zenocrate per motum definiri, dicebatur enim numerus ſeipſum mouens,

Ratio ſecunda ſoluitur.

uens,

uens, ideo ut oſtenderet à Platonicis perperam definiri, quorum ſententiam damnauerat in primo de anima, utitur diſtinctione ipſius actus, ut excluderet actum ſecundum, hoc eſt motum & operationem, non autem debuit excludere formam operantem colligamus itaque cum Græcis immò cum Ariſtotele ſecundam entelechiam eſſe ſolam operationem, non formam operantem.

Definitio Animæ. Cap. IIII.

QVONIAM Anima eſt ea ſubſtantia quæ eſt forma, quæ forma in actum veluti in genus reſoluitur, & non eſt actus ſecundus ſed primus, qui primus actûs ſiue prima perfectio alicuius corporis eſt perfectio: & cum non ſit perfectio corporis Mathematici vel arte elaborati, erit itaque Anima prima perfectio corporis Phyſici inſtrumentarij, ſiue potentia vitam habentis, vt ex declaratione definitionis apparebit. Vt conſtet, quam rectè tradita ſit hæc Animæ definitio, præaccipiendum eſt definitionem debere rei definitæ reſpondere, & eam eſſe definitionem perquirendam quæ rei definitæ conueniat; Anima mortalium vniuersè ſumpta exactiſſimè definiri nõ poteſt; primò, quia compoſitorum ſunt propriè definitiones, vt ex ſeptimo Metaphyſicæ colligitur, Anima autem verè compoſita non eſt: inſuper definitiones naturam vnam explicant & patefaciunt, Anima vniuersè ſumpta non verè non propriè eſt vna, cum ſit commune ab vno, non itaque definitio expetenda eſt, quæ omnibus numeris ſit abſoluta, ſed expetenda eſt definitio tradita per terminos ab vno: inſuper quoniam anima eſt forma corporis naturalis, & naturali definitione eſt

explicanda, iurè per corpus cuius eſt forma debuit definiri, nec ſecus definiri potuit anima mortalium, cum ea modo aliquo à corpore pendeat. Demũ quia Anima in animalis conſtitutione duo obit munera, conſtituit enim illud, & eſt initium operationum eius; vtrumque per definitionem debuit explicari, vt exactius, quid ſit Anima innoteſceret. Hæc omnia accuratiſſimè ſeruauit Ariſtoteles, nam Animam communem ab vno per actum explicauit cõmunem ab vno, ac ita eam explicauit, cum ſubiectum tum vtraque eius munera mira arte patefecerit, vt ex conſequentibus apparebit.

An rectè Anima dicatur prima perfectio. Cap. V.

QVONIAM Anima ea eſt, quæ animal cõſtituit, illudque primo perficit, & eſt natura, ac id totum per quod verè eſt corpus viuens: proptereà rectè dicitur prima perfectio, primaque finis & abſolutionis comprehenſio. Verum obijciet quiſpiam, quia rectius aſſignatur definitio per genus proximum quàm per remotum; forma eſt genus proximius, quàm ſit actus, ideo rectius definiretur Anima dicendo eam eſſe ſubſtantiæ formam, quàm aſſerendo eſſe actum primum, & præſertim quia actus primus abſolutè eſt ſolus Deus, actus primus inter gradus Animæ eſt anima nutriens, non autem vniuerſa Anima: Accedit quòd etiam Animi habitus, & formę accidentium nuncupantur primi actus, quare dum accipimus hoc commune genus, potius animam obſcuramus, quã illuſtremus; & hoc præſertim confirmatur, quoniam Ariſtoteles in octauo Metaph. negat ens, & vnum debere accipi in definitionibus, cum non ſint genera; at pari ratione actus, cum non ſit genus niſi ab vno, vt ens & vnum,

vnum,non debet in animæ definitione accipi. Ad hæc dico iure ab Ariſtotele pro genere fuiſſe aſſumptum actum primum, quoniam genus proximum in ſuperiora reſolui poteſt: ſi in ea reſoluitur, clarior redditur definitio, nunquam enim definitio conſpicua eſt, quouſq; termini eius non fuerint explicati; ideò dum loco proximi generis accipitur eius circumſcriptio, notior redditur definitio: & dum additur quòd actus primus eſt ſolus Deus, non eſt dicendum cum nonnullis, qui negant ſeparatas ſubſtantias debere dici actus primos, ſed eſſe actus ſecundos, cum ſemper operentur; hoc inquam à vero maximè eſt alienum; nam ſecundus actus non remouet primum, & ſi adeſt ſecundus actus, etiam adeſt primus, ſic Deus nuncupatur ab Ariſtotele prima Entelechia, & primus actus: ſolùm dicere poſſumus in ſeparatis ſubſtantijs actum ſecundum in idem venire cum primo, & hoc quoque non eſt verum de omni earum actu, vt de motu, ſed de actu intelligendi ſolum. Dicamus itaq; Primum actum abſolutè eſſe Deum, primum actum inter formas ſubſtantiæ recipiendas in materia eſſe formas elementorum, actum origine primum inter gradus Animę eſſe animum nutrientem, perfectione uerò intellectum: at facta comparatione non inter Animæ gradus, ſed inter actum inſtrumentarij corporis & operationem, omnis Animę gradus eſt actus primus & cum hac comparatione accipitur in Animæ definitione: accidentia autem, & habitus Animi non ſunt primi actus corporis Phyſici inſtrumentarij, vt tale eſt: cum enim huiuſmodi corpus ſit ſubſtantia, actus eius, vt tale eſt, ſubſtantia eſſe debet, ideò illi exploduntur. Ad poſtremam inſtantiam dico, quòd ens, vnum, actus, & potentia cum non ſint propriè genera, in propriè ſumptis definitionibus non accipiuntur, at in deſcriptionibus eorum,

Primus actus quot modis intelligatur.

quæ ſunt ab uno, nec exactè poſſunt definiri, accipi conuenienter poſſunt, & præſertim in definitione internorum principiorum, quæ vt docet Ariſtoteles in 12. Metaphiſicæ in actum, & potentiam reſoluuntur.

Cur Anima dicatur perfectio corporis Phyſici. Caput VI.

QVONIAM Anima, quæ ad Phyſicum propriè pertinet, Natura eſt, ideò non Mathematici, non artificioſi corporis eſt perfectio, ſed corporis Phyſici & præſertim, quia perfectio corporis Mathematici accidens eſt, pariter perfectio corporis artificioſi: (ars enim non valet ſubſtantiam efficere) At inſtare quis poſſet, quoniam etiam per artem uaria uiuentia gigni & formari poſſunt, ut per agriculturam herbæ, arbuſta, & arbores gignuntur, & formantur. Inſuper Iamblichus ex ſententia Aegyptiorum aſſeruit, & idipſum affirmauit Proclus, poſſe ex determinatis nonnullis corporibus ſub conueniente ſyderum aſpectu formari ſtatuas, quæ animam attraherent, & per eam uiuerent; hinc naturam nuncupant magam, illæ autem animæ non Phyſici, ſed artificioſi corporis erunt perfectiones. Demum ſi anima eſt perfectio corporis Phyſici, & omnis talis forma eſt natura, cum definitio conueniat intellectui; etiam intellectus erit natura, quod tamen negauit Ariſtoteles in primo de partibus animalium. Hæ inſtantiæ minimè euertunt ſententiam Ariſtotelis: nam ad primam dico in viuentium generatione Artem poſſe obire munera inſtrumenti, at non præcipui efficientis. Plantæ ſolùm à natura producuntur, & earum corpora ſunt Phyſica; agricultura maga

Dubitatio prima.

Dubitatio ſecunda.

Solutio primæ Dubitationis.

ga eſt, quæ agentia cum patientibus iungit, & ſolùm extrinſecus operatur. Ad ſententiam Iamblichi dico primò, id ex opinione Ariſtotelis fieri non poſſe; nam illæ ſtatuæ dicebantur allicere dęmones aduenas, quos Ariſtoteles non nouit. Addo ſecundò ea corporea, ut alliciunt dæmones, eſſe Phyſica non artificioſa, & per vires Phyſicas id facere. Addo poſtremò, eos dæmones nec eſſe perfectiones primas earum ſtatuarum, ſed ſolùm eis inſinuari, non ſecus ac dæmones per ad iurationes dicebant in anulo, uel alio ſimili corpore adſtringi. A d poſtremam inſtantiam; quia ſic intellectus eſſet natura. Reſpondeo intellectus abſolutè, ratione ſuæ eſſentiæ minimè eſt natura, nec ad Phyſicum pertinet; at quatenus redditur particula Animæ, & intrinſecus operatur in corpore naturali, eatenus participat conditiones naturæ, & ad Phyſicum pertinet, & ſub definitione continetur: Ariſtoteles in primo de partibus Animalium præſertim ad eſſentiam, & abſolutam eius conſiderationem reſpexit. Solutio ſecundę dubitationis.

Quomodo Anima ſit perfectio corporis inſtrumentarij. Cap. VII.

ANIMA inter formas, quæ in materia recipiuntur, principatum obtinet, & varijs facultatibus eſt prædita, propterea ſubiectum, accuratè elaboratum uarijsque inſtrumentis munitum expoſcit, vt per ea ualeat ſuis muneribus fungi, & quò Anima præſtantior eſt eò corpus potioribus inſtrumentis præditum requirit, ut inde pateat non inaniter uiuétibus traditam eſſe Animam, nilque in uniuerſo redundans vel diminutum inueniri, ſed facultatibus

ſemper

ſemper parata eſſe conuenientia inſtrumenta, ac inſtrumentis condonatas eſſe facultates. Quare cum Anima dicitur perfectio, ſeiungitur à perfectibili: cum dicitur prima, ſeiungitur ab operibus: cum additur corporis, diſtinguitur à perfectionibus animi: cum dicitur phyſici, ſeiungitur à formis rerum arte conſtantium: & cum modò additur inſtrumentarij: ſeiungitur à formis elementorum, & mixtorum ſimilium partium: demum cum ſit perfectio corporis phyſici inſtrumentarij, & huiuſmodi corpus quatenus tale eſt ſit ſubſtantia, iurè ab omnibus accidentibus diſtinguitur, adeo ut iam definitio cum ſuo definito conuertatur: Verùm occurrunt nonnullæ difficultates: prima eſt, quia Anima etiam corporis non inſtrumentarij uidetur eſſe perfectio, cum ſit perfectio carnis, neruorum, oſſium, & aliarum partium, quæ inſtrumentariæ non ſunt. Præterea nullus artifex per ſua inſtrumenta debet definiri; non enim faber definitur per malleum, regulam, & reliqua inſtrumenta: malè itaque anima per inſtrumenta ſua definita eſt. Ad primam difficultatem inquiunt nonnulli nullam eſſe corporis uiuentis partem, quæ inſtrumentaria non ſit, ſingulæ enim partes nutriuntur, creſcunt meatibus ſunt præditæ, at nutritio, accretio, & huiuſmodi operationes non fiunt ſine inſtrumentis. Hæc ſententia non eſt vera, nam ita accipi debet inſtrumentarium in definitione Animæ, ut in libris de hiſtoria, & partibus Animalium declaratum fuit. Ariſtoteles ſub initio primi de hiſtoria partes animalium ſecat in inſtrumentarias, & non inſtrumentarias, inſtrumentarias partes ait eſſe membra, vt manus, pedes, &cæt. idipſum confirmat in ſecundo de partibus Animalium cap. primò. Accedit quòd in uiuente ſaltem ad aliquam minimam partem eſt deuenire in qua nullum ſeruari poteſt inſtru-

Difficultas prima aduerſus animæ definitionem.

Dubitatio ſecunda.

Aliorum ſolutio.

Cõfutatio ſolutionis aliorum.

mentum: dum inquiunt ſingulas partes nutriri, & creſcere, concedo, at nego ex eo ſequi partes illas habere inſtrumenta, ſat enim eſt ut in uniuerſo uiuente inſtrumenta nutritionis inueniantur. Propterea ſecus difficultatem diſſoluens dico, id quod perficitur ab Anima duplex eſſe, vel totum quod vniuerſæ animæ æquatur, uel partem eius: Anima, quæ eſt totum quoddam, per vniuerſum ſuum perfectibile, non per partes, per proximum, non per remotum definiri debet. Ad alteram difficultatem dico ſecus ſe habere de Anima ac ſe habeat de artifice, artifex non eſt forma ſuorum inſtrumentorum, nec eis per naturam eſt iunctus, at anima eſt nedum finis verùm etiam forma eorum, & cum eis per naturam complicatur, ideo debet per ea definiri, nam Anima primò perficit, mox vtitur inſtrumentis ſuis.

Opinio propria pro ſolutione primæ dubitationis.

Solutio ſecundæ dubitationis.

Quomodo Anima ſit perfectio corporis potentia vitam habentis. Cap. VIII.

ANIMA dicitur perfectio corporis, & inſtrumentarij & potentia uiui: quod enim potentia uiuum eſt, etiam eſt inſtrumentarium, at non conſtat quid intelligere debeamus per potentia uiuum, neque etiam conſtat, an ambæ hæ particulæ accipi deabeant inſimul in Animæ definitione, vel altera tantùm. De prima difficultate loquendo duę ſunt opiniones: una eſt, quòd cum corpus uiuens conſtet ex corpore & anima, ex perfectibili & perfectione, ac per differentias in definitione ſumptas explicentur pertinentia ad corpus & ad perfectibile; propterea dum dicitur potentia vitam habentis, denotatur corpus contra diſtinctum ab Anima, quod quatenus eſt ex parte

Prima opinio.

ſui

ſui eſt in potentia ad Animam, & ad vitam ſumptam pro actu primo; ex quo perfectibili cum ſit in potentia, & ex Anima quæ actus eſt, fit per ſe vnum, ſic Ariſt. in textu 26. inquit Animam non eſſe in quouis corpore, ſed in corpore tali: & in contextu 10. inquit ſemen non eſſe corpus potentia viuum, ſed eſſe potentia tale corpus. Proculdubio hæc opinio valde eſt probabilis, & defendi poſſet; mihi tamen magis ſatisfacit altera opinio, quæ Græcorum interpretum eſt, quod Ariſt. per inſtrumentarium, & potentia viuum denotet viuens ipſum ex corpore & Anima conſtitutum, non autem ſolum corpus, hoc dicitur ab Ariſtotele in x. contextu; dum inquit, quod autem potentia viuum, non eſt quod abiecit Animam, ſed quod habet. Confirmatur, quoniam potentia viuum & inſtrumentarium idem ſignificant, ſola ratione diſtinguuntur, at corpus non eſt inſtrumentarium ſine Anima, cum Anima inſtrumenta formet, nam oculus defuncti æquiuocè eſt oculus, quare etiam quod potentia dicitur viuum Animam includit, ideo Ariſtoteles in textu 6. dixit corpus potentia viuum inſtrumentarium eſt. Præterea idipſum confirmatur ratione ex Themiſtio deſumpta, quia forma non dicitur propriè tribuere eſſe materiæ, vel perfectio materię, ſed propriè eſt perfectio compoſiti, & compoſito tribuit eſſe. Anima enim animalis eſt perfectio, hoc dixit Ariſtoteles in textu 3. inquiens per formam compoſitum eſſe hoc aliquid. At obijciet aliquis, quia ſic idem accipietur in definitione ſui ipſius: ſi enim corpus potentia viuum, & inſtrumentarium includit Animam, Anima accipietur in definitione Animæ, quod videtur abſurdum. Ad hoc dico, ſemper dum definitur pars, vt conuenienter definiatur, debet definiri per totũ; pars enim totius eſt pars: neq; eſt abſurdum, vt per quandam conſecutionem pars

Secunda opinio gręcorum.

Confirmatio ſecũda opinionis.

Inſtantia.

Reſponſio.

includatur in definitione ſui ipſius, includitur enim ſub ratione notioris, vt ſcilicet continetur in toto cuius eſt pars ſiue perfectio: ſic itaque ſe habet de anima: quæ eſt pars & perfectio viuentis, & præſertim id fieri potuit, quia potentia viuum, vt apparebit, manifeſtat animam eſſe initium operationum animalis. Neque eſt difficile ſatisfacere fundamentis alterius opinionis: nam ad Ariſto. in contextu 26. dico optimè declarari perfectibile, & corpus in quo recipitur Anima, cum totum viuens cum ſua perfectione manifeſtetur. Pariter ad auctoritatem ex contextu 10. deſumptam, dico ſemen eſſe potentia tale corpus, nempe animatum & viuum.

Solutio fundaměto rum primę opinionis.

Cur dicatur potentia uiuum & non actu. Cap. IX.

SI ANIMA eſt perfectio corporis actu uiui, cur dicitur perfectio potentia uiui, non actu viui? nam actus, & potentia oppoſita ſunt, & maximè diſtant. Inquit Philoponus potentiam eſſe duplicem, ex libro de interpretatione, unam iunctam, actui; alteram ſeiunctam, hoc in loco inquit accipi potentiam iunctam actui, vt qui currit dicitur poſſe currere. At per hoc non ſoluitur dubitatio, quoniam non apparet ratio cur Ariſtoteles, qui in definitionibus pro facultate nititur uti terminis proprijs, non potius dixerit actu uiui quàm potentia: ideò inquiunt cum Simplicius, tum Philoponus fuiſſe dictum potentia uiuum, quia uita, uiuentium mortalium aduentitia eſt, & poteſt deſinere & aduenire. Quæ ſententia etiam approbanda non eſt, quoniam actus & potentia non ſunt differentię denotantes aduentitium uel non aduentitium, ſed abſentiam uel pręſentiam formę: quod patet, quia aqua feruens non diceretur potentia calida,

Opinio Philoponi.

Opinio Philoponi refellitur multis rationibus. Prima ratio.

Secunda ratio.

quamuis caliditas minus ſit eius propria quàm vita uiuentiſ. Accedit, quòd corpori inſtrumentario vita eſt eſſentia, non autem aduentitia. Propterea dicamus per vitam non debere intelligi actum primum, ſed actum ſecundum à primo pendentem. Et iurè hoc factum eſt, nam Anima in uiuente duobus fungitur muneribus: primò conſtituit corpus uiuens, & propterea dicitur actus primus: ſecundò eſt initium operationum eius, & ob id dicitur perfectio potentia uiui: nam de ratione animæ & uiuentis eſt, non ut operetur, ſed ut ualeat operari; quam facultatem ſemper ſeruat, uel operetur, vel ne. Confirmatur hæc explicatio, quia inſtrumentarium, & potentia uiuum in idem ueniunt: at inſtrumentarium nil aliud denotat niſi quod eſt poteſtate ad fungenda munera, inſtrumenta enim per opera definiuntur. Idipſum quoque patet, quia Ariſtoteles in tertio contextu uitam pro ſecundo actu declarauit.

Tertia ratio. Opinio propria. Fundamētū primū. Fundamētum ſecundum.

Alexander etiam in ſecundo naturalium quæſtionum cap. octauo aliud eſſe uitam in animę definitione ſumptam, aliud eſſe animam affirmauit: vita enim eſt actus ab anima prodiens, anima uerò initium eius.

An

An amba illa differentia ſint accipienda in Anima definitione. Cap. X.

Plotini ſententia & ſimplicij. Prima ratio.

QVAE iſtæ differentiæ inſtrumentarium, & potentia uiuum maximè conueniunt. Et dubium eſt, an ambæ in definitione Animæ ſint accipiendæ, uel altera tantùm. Plotinus referens definitionem hanc utranque particulam retulit: Simplicius affirmat utranque eſſe neceſſariam, nam duo ſunt munera Animæ, unum eſt formare inſtrumentum, aliud uerò inſtrumento uti: ideò facultatem Animæ diuidit in formantem, & utentem: cum dicitur potentia viuum, denotatur facultas formans, quæ vitam largitur: dum dicitur inſtrumentarium, denotatur facultas vtens, quæ cum ſit præſtantior formante, iurè poſtremo loco ponitur: confirmatur hæc ſententia, quia

Secunda ratio.

non eſt putandum quòd Ariſtoteles fruſtra vtraſque differentias cogitauerit, & præſertim, quia definitionem explicans vtranque declarat. Hanc ſententiam minimè approbandam eſſe iudico: primò quia Ariſtoteles referens Animæ definitionem, nunquam ſimul ambas ponit, ſed modo refert vnam modò alteram. Idipſum patet ex contextu ſexto, vbi potentia viuum idipſum eſſe dixit, quod inſtrumentarium: propterea in ſeptimo cõtextu dimittens potentia viuum inſtrumentarium accipit pro communi Animæ definitione. Hoc confirmatur per regulam traditam ab Ariſtot. in ſecundo Poſter.

Confutatio huius opinionis. Prima ratio.

Secunda ratio.

[illegible]m monet deſiſtendum eſſe à differentiarum enume[illegible]e, quam primùm definitio cum definito conuerta[illegible] ſtatim quòd vna earum accipitur, conuertitur de[illegible] cum Anima, vt conſideranti redditur notum, qua

re altera apponenda non eſt: non itaque accipiendæ ſunt ambæ ſimul, ſed vna earum: & quamuis parum referat quæ earum accipiatur, clarius tamen explicatur anima per inſtrumentarium; ideo Ariſtot. tandem dimiſſa altera differentia, inſtrumentarium aſſumpſit: per inſtrumentarium enim maximè manifeſtatur quod pertinet ad viuentia mortalia, & inſimul explicatur quomodo ſit potentia viuum. Rectè itaque Alexander, Themiſtius, Philoponus cenſent vnicam ex eis differentijs in definitione eſſe ponendam. Ad fundamenta alterius opinionis facile eſt reſpondere: ad Simplicium dico eandem eſſe facultatem formantem, & vtentem inſtrumento; addo quòd Ariſtoteles per vitam non denotauit actum primum, vt ipſe cenſuit, ſed ſecundum, vt manifeſtaui, nempè operationem; & dicendo inſtrumentarium optimè utrumque manifeſtatur, & præſertim quia quod pertinet ad actum primum & perfectionem corporis, cumulatè per genus definitionis manifeſtatur, neque fruſtra Ariſtoteles vtraſque differentias excogitauit & declarauit, quoniam vna colligitur ex altera, & vna explicat alteram; ideo ex eo quod eſt potentia viuum tanquam ex poſteriore ſiue ex effectu inferebat Ariſtoteles inſtrumentarium.

Alexandri Themiſtij, & Philoponi opinio laudatur. Solutio primę rationis. Plotini.

Solutio ſecundę rationis.

An data Animæ definitio conueniat cœlorum ac dæmonum Animis. Cap. XI.

EXISTIMARVNT nonnulli traditam Animæ definitionem adeo communem eſſe, vt etiam cœlorum ac dæmonum Animis conueniret, ſed manifeſtè decipiuntur: neque ptopterea putandum eis non conuenire, quia non ſint primæ entelechię, ut quidam aſſeruerunt, ſunt enim, vt in præcedentibus manifeſtaui; at non ſunt entelechiæ corporis inſtrumentarij, quia cœli non ſunt inſtrumentarij, nam in primo de cœlo inter corpora ſimplicia enumerantur, quæ inſtrumentaria non ſunt, corpus enim ſimplex ſimilium eſt partium, corpus inſtrumentarium ex partibus diuerſi nominis diuerſæque definitionis conſtat: neque ſtellæ cenſeri debent inſtrumenta, quoniam iam Ariſtoteles in libro de hiſtoria, & de partibus Animalium manifeſtauit quid intelligeret per partes inſtrumentarias, quæ etiam membra nuncupantur, & ſunt conflata ex diuerſis partibus, ſtellæ non ſunt huiuſmodi, ſed ſolùm dicuntur denſior pars ſui orbis: Præterea nō omnes cœli orbes ſunt præditi ſtellis, multi ſine ſtellis inueniuntur, non itaque cœlorum Animis conuenit definitio, ſed ſolum Animis mortalinm; ideo Ariſt. in tertio contextu declarans quid intelligeret per viuentia corpora, manifeſtauit ſe mortalia intelligere, quibus conuenit nutritio, & accretio; & iurè animæ cœli ſub definitione non debent contineri, cum penitus à corpore ſint abiunctæ, & ad phyſicum non pertineant. Pariter ea definitio dæmonibus à Platone poſitis non conuenit: primò, quia eorum corpora inſtrumentaria

Quorundam opinio.

Cōfutatio opinionis. Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

non

non ſunt, ſed ſimilium partium, nam ſunt corpora vel aerea vel aquea, quæ neque ſunt inſtrumentaria, neque perfecti mixta: Præterea Dæmonum Animæ non ſunt in eo corpore per naturalem cónnexionem, ac veluti perfectiones eorum corporum, ſed potius per quandam liberam inſinuationem, ideo ea corpora, in quibus inſunt, non redduntur diuerſæ ſpeciei, ſed adhuc eſſe dicuntur vel aer vel aqua. Pariter ea animæ definitio ſpiritibus illis non conuenit, qui homines nonnunquam uexant: & ratio eſt, quia quamuis ſint in corpore inſtrumentario, non tamen in eo ſunt vt perfectiones eius, hinc accedunt & recedunt ſuperſtite corpore: & hoc patet, quoniam vnius corporis viuentis non poſſunt eſſe plures perfectiones non ſubordinatę inter ſe, neque ſubordinantur hominum Animæ his immundis. Spiritibus.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

An humanæ Animæ à corpore ſolutæ conueniat ea definitio. Cap. XII.

HVMANAM Animam nedum cum corpore, verùm ſolutam quoque à corpore ſeruari in columem firmiter aſſerimus, quicquid hac de re ſenſerit Ariſtoteles. Verùm hoc apprimè dubium eſt, utrum ei à corpore ſeiunctæ tradita definitio conueniat; Putarunt nōnulli ex latinis ſemper ei definitionem conuenire, & iurè id videntur aſſerere, quoniam definitio debet conuenire omni, & ſemper; & ſi definitio ſolùm conueniret Animæ corpori iunctæ; tunc non quid ea ſit manifeſtaret, ſed ſolum reſpectum, & aduentitium aliquid. Et confirmatur, quoniam Anima ſoluta corpore adhuc ſeruat facultatem,

Latinorū quorundā opinio.

Secunda ratio.

cultatem, ut ſit corporis perfectio, ſemper itaque Anima eſt perfectio corporis, uel actu uel facultate. Hanc opinionem minimè cenſeo Peripateticam, nam Ariſtoteles in contextu 26. ſecundi de Anima manifeſtiſſimè ex data definitione colligit rectè eos putare, qui animam nec corpus nec ſine corpore eſſe exiſtimarunt, eſt enim corporis aliquid. Abſolutè colligit Ariſt. Animam ſine corpore eſſe non poſſe, non ait ſine facultate, ut ſit in corpore. Præterea hoc confirmo, quia Anima ſoluta corpore eſt ſubſtantia abiuncta, operatur ſine corpore, ergo ut talis neque ad Phyſicum pertinet, neque per corpus debet definiri: probo conſequentiam, & primò quòd ad Phyſicum non pertineat, patet ex primo de partibus Animalium; & confirmatur ex ſecundo Phyſicorum, ubi Ariſtoteles inquit eam formam eſſe naturam, quæ non eſt ſeparabilis à materia niſi ratione, quare forma ſeparata non eſt natura, & conſequenter non attinet ad naturalem. Quòd non debeat definiri per corpus, probo, quia Ariſtoteles in procœmio de Anima conſiderans qualis debeat eſſe definitio animæ, conſiderabat quales ſunt eius operationes: & ex eo, quia ſunt communes cum corpore, colligebat & eas & animam debere per corpus definiri: at ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio eſt cauſa negationis: quare anima ſeorſum à corpore, quoniam ſine corpore operatur, non eſt definienda per corpus. Confirmatur, quoniam termini in definitionibus debent propriè accipi; Ariſtoteles non dixit animam habere facultatem, ut ſit actus, ſed abſolutè eſſe actum, dum uoluit facultatem manifeſtare optimè id fecit, vt patet cum inquit potentia uitam habentis. Demum id manifeſtiſſimè patet, quia ex ſententia Ariſtotelis in ſecundo Phyſ. & in ſecundo Poſteriorum à forma ad formatum

Reiectio huius opinionis. Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

valet conſequentia, adeſt forma domus, ergo neceſſario adeſt domus, & ſic de cæteris: quare cum anima dicatur actus, forma, & perfectio, nequaquam poteſt ſeruare rationem entelechiæ & formæ, dum fuerit ſeparata à corpore, quia ſic ex ſententia Ariſtotelis ex forma non colligeretur neceſſario formatum, ut ipſe docuit locis relatis. Ad fundamenta alterius opinionis facile eſt reſpondere, dum dicitur definitio debet conuenire ſemper definito, reſpondeo debere conuenire ſemper quouſque ſeruat modum conſiderationis cum quo definitur. At Ariſtoteles conſiderat animam conſideratione Phyſica, ideò propriè conſiderat animam à corpore pendentem, & ei præſertim conuenit definitio, parti autem ſeparabili ſolùm conuenit, ut particula redditur animæ, ut cum corpore operatur, abſolutè tamen eam nec definit nec conſiderat: ſolùm itaque eam conſiderat, ut cum reliquis animæ gradibus conuenit. Ad confirmationem, quia ſic non quid ſit anima manifeſtaret, reſpondeo, quòd rectè ut ad Phyſicum pertinet id manifeſtauit; nam manifeſtauit, & quòd eſt forma, & qualis ſit forma, & cuius: huiuſmodi autem debet eſſe definitio Phyſica, nam Phyſicus formam conſiderat, ut eſt initium corporis Phyſici, & operationum eius: ſolùm ſequitur, quòd non exactè manifeſtauerit, quid ſit forma abiuncta, & hoc conceditur, quoniam ad Phyſicum non pertinet. Ad poſtremum, dum dicitur Animam abiunctam ſeruare facultatem, ut ſit corporis perfectio, iam manifeſtaui id non eſſe ſatis: quare colligamus cum potioribus ex Græcis datam definitionem ſolùm conuenire animæ complicatæ cum corpore.

Solutio Primæ rationis alterius opinionis.

Solutio ſecundæ rationis.

Con-

Confirmatio traditæ definitionis. *Cap. XIII.*

QVAM accuratè, quàm rectè definita ſit anima, manifeſtiſſimè patet conferendo definitionem hanc cum cæteris definitionibus, quas alij tradiderunt. Nonnulli ueterum Philoſophorum animam definiebant per cognitionem, qui decipiebantur; quoniam cognitio ſingulis animæ gradibus & facultatibus non conuenit. Alij definiebant per motum, qui etiam errabant, quoniam motus ſolùm ex euentu conuenit animæ: ſolùm mouetur anima ad motum corporis: quòd ſi aſſerunt animam ſaltem eſſe primum initium motus, hoc nedùm mortalium animæ, uerùm etiam ſeparatis mentibus conuenit, & modo aliquo naturæ ſub anima collocatæ. Alij definiebant per tenue corpus, uel per incorporeum, qui etiam non rectè ſentiebant, tum quia anima corpus non eſt, tum etiam quia non ſat eſt dicere eam eſſe incorpoream, ſed quid corporis ſit manifeſtandum eſt, quod ipſi non fecerunt; & præſertim, quia id eſt commune omnibus formis. Alij demum per Mathematica animum definiebant, qui errabant, quoniam ea ſolum Analogicè vera eſſe poſſunt de Anima, & diuerſi generis ſunt ab anima; ideo non rectè quid ſit anima manifeſtare poſſunt. Ariſtoteles demptis Metaphoris, ſecluſis illis quæ diuerſi generis ſunt, animam eſſe in-incorpoream manifeſtauit, cum dixerit eſſe formam & perfectionem: inſuper indicauit eam eſſe initium motus & cognitionis, aliarumque operationum, cum dixerit eſſe perfectionem corporis, uel inſtrumentarij, uel po-

Definitio Animæ ex veteribus philoſo-phis. confutatur. Aliorũ definitio de anima reijcitur.

Definitio quorundã de anima non probatur.

Definitio aliorũ confutatur.

Ariſtotelis opinio probatur.

tentia viui: adeò vt ſeorſum ab errore ea omnia ſua definitione ſit amplexus, quæ alij minus rectè & diminutè animæ tribuerunt. Eſt itaque tradita animæ definitio, ſi abſolutè conſideratur, diminuta & imperfecta valde, quoniam anima vniuerſè ſumpta exacta definitione definiri non poteſt; at dum refertur ad animam, abſolutiſſima eſt, quia exquiſitior & exactior alia inueniri non poteſt.

Definitio animæ tradita ab Ariſtotele quomodo diminuta, & quomoda perfecta.

Finis Libri Secundi.

33

PETRI DVODI
FRANCISCI D· MARCI
PROCVRATORIS FILII
De Anima Liber Tertius.
CAPVT PRMVM.

VNIVERSA Animæ definitio, ut viam parat, & pro graduum ac partium eius inuentione, & cognitione eſt neceſſaria; ita ea ſola eſt nimium leuis, confuſa & diminuta cognitio; & præſertim, quia ea ſolum declarat quid ſit anima, cauſam non patefacit, non explicat; ideò ut cauſa appareat, & ſinguli Animæ gradus eluceſcant, alio ſumpto principio dicamus. Anima id eſſe dicitur, quo animantes ab inanimis ſecernuntur: & quoniam manifeſtiſſimè patet hæc inter ſe diſtingui ipſo uiuere, & uiuendi principio, ideo Anima vitæ principium eſſe dicitur. Et quoniam uitæ principium eſt duplex: unum

Vitæ principium duplex. principale, ex quo vita præſertim pendet, aliud minus præcipuum, & eſt illud in quo vita vel initium præcipuũ vitæ recipitur: anima proculdubio eſt initium præcipuum, cum ea præſente adſit uita, ea abſente vita abſit; aliud autem initium eſt corpus, ex quo cum anima corpus uiuum conſtituitur, iurè itaque colligere ualemus animam eſſe primum vitæ principium. *Anima eſt principiũ in triplici genere cauſæ.* Anima in viuente adeò principatum obtinet, ut ſimul ſit forma viuentis; ſit finis generationis eius, ac etiam omnium inſtrumentorum quæ in eo inueniuntur; & demum ſit efficiens omnium operationum, quæ à uiuente, ut uiuens eſt, originem ducunt: *Ratio contraria.* & quamuis Ariſtoteles in ſecundo Phyſic. negat hæc tria cauſarum genera in idem numero uenire, non propterea ei aduerſamur, cum oppoſitum de anima aſſerere uideamur: neque hæc apparens contradictio cum Simplicio ſoluenda eſt, *Simplicis ſolutio non probatur.* qui dixit ſententiam Ariſtotelis in ſecundo Phyſicorum eſſe veram non ſemper, ſed vt plurimum. Quæ ſolutio ex eo falſa apparet, quia omnis forma, quæ natura eſt, *Opinio propria.* nedum Anima, eſt forma, finis, & efficiens. Propterea dicendum eſt ea tria cauſarum genera in idem numero non venire reſpectu eiuſdem, ut in idem numero uenit forma & finis: at dum referuntur ad varia, omnis forma, quæ natura eſt, inſimul eſt forma, finis, & efficiens.

Quotuplex ſit uita. Cap. II.

CVM Anima primum vitæ principium eſſe dicatur, quid ſit vita, quotuplex ſit, & quomodo ad animam ſe ſe habeat, uidendum eſt. Vita nonnunquam accipitur pro actu *Quid ſit uita.* primo, ueluti dum intelligentiam æternas nitas nuncupamus,

pamus, & de vita mortalium dicimus, quòd ea eſt eſſe uiuentium ; & uita dicitur, quatenus largitur id eſſe uiuentibus, per quod comparata cum alijs hæc uiuere ea minimè uiuere dicuntur, ac inſuper quatenus eſt initium operationum uiuentis, vt uiuens eſt. Et quoniam nomen cauſæ ſæpe ad ea extenditur, quæ pendent à cauſa, ideò opera quoque ab anima prodeuntia nomine uitæ deſignantur. Quæ opera dupliciter conſiderantur: primò, ut in quodam communi conueniunt, quatenus omnia ab anima prodeunt, & ſic omnia dicuntur uitalia, & omnia nomine uitæ deſignantur: ſecundò conſiderantur, ut inter ſe diſtinguuntur, & uarios animantium gradus conſtituunt, in qua conſideratione per animam nutrientem conſtituuntur uiuentia, & uita de munerum functionibus attinentibus ad nutritionem dicitur, per ſentientem ſine motu conſtituuntur ſtirpanimalia, per ſenſum cum motu animalia, per rationem homo, & uita hominis. Nonnumquam etiam uitæ nomen per dignitatem dicitur de ſola uita ſuprema, quæ ab intellectu pendet, iuxta ſententiam illam, Da mihi intellectum, & uiuam: nam cęteræ cum hac collatæ umbræ potius quàm ueræ uitæ cenſendæ ſunt: de hac vita loquebatur Auerroes in procemio Phyſic. dum nomen hominis de ſapiente & ignaro æquiuoce dici affirmauit. Vita itaque multipliciter dicitur, non tamen eſt nomen æquiuocum à caſu, ſed ab uno, & ad unum: & dum anima dicitur primum uitæ principium, uitæ nomen uniuersè pro actu ſecundo animę accipitur; & non denotatur uita, ut ab alijs gradibus diſtinguitur, ſed pro quocumque ſecundo actu ſingulorum Animæ graduum uſurpatur. Vitę nomē ab uno.

De

De numero facultatum Animæ. Cap. III.

QVOT ſint animæ facultates, ex operibus innoteſcit, opera enim nos eleuant in notitiam principiorum: opera autem nec non facultates, diſtincta conſideratione & plures, & pauciores dici poſſunt: primò enim ſi reſpicimus ad principalem diſtinctionem deſumptam ex genere, & ex rei natura, facultates animæ duæ ſolæ ſunt, vna æterna, altera mortalis, & hæ diuerſi generis eſſe dicuntur: ſecundò ſi conſideramus vſum rationis, & potentias numeramus in ordine ad vſum rationis, ſic tres conſurgunt potentię, vna ex ſe rationis compos, altera penitus rationis expers, & hæc eſt anima nutriens; tertia inter eas mediat, quæ ex ſe ratione caret, eſt tamen nata audire rationem: ſic diuiſæ ſunt facultates animæ ab Ariſtotele in primo, & ſexto de moribus. Tertiò ſi conſideramus ad conſtitutionem graduum viuentium, quatuor occurrunt facultates, prima nutriens conueniens plantis, ſecunda ſentiens conueniens ſtirpanimalibus, tertia motrix conueniens iumentis & feris; Poſtrema dianoetica ſiue rationalis conueniens homini, quæ facultas rationis compos re eadem eſt cum mente & cum intellectu contemplatiuo, ſola ratione diſtinguitur. Inſuper reſpiciendo præcipua opera inter ſe diſtincta, quinque numerantur facultates, pro quinta addendo appetentem. Præterea ſi imaginatione à ſenſu diſtinguere uolumus, quæ & conuenit & differt, ſex numerare facultates valemus: Demum ſi facultatem conſeruantem à cognoſcente ſecernimus, pro ſeptima facultate memoriam numerabimus. Ex quo patet facultates & plures & pauciores dici poſſe, nec Ariſtotelem ſibi aduerſari dum vario modo eas enume-

Marginal notes: Facultates & plures, & pauciores. — Facultates duæ ſolũ. — Facultates quomodo tres. — Facultates quomodo quatuor. — Facultates quomodo quinque. — Facultates qũo ſex & ſeptem.

enumerat. Diuiſio autem facultatis in eas quæ dictæ ſunt, non eſt diuiſio generis in ſpecies, quoniam vbi datur prius & poſterius, quod eſt commune non eſt genus: inſuper non eſt diuiſio nominis penitus æquiuoci, ſed nominis ab vno in contenta ſub eo: in quo ordine ſi conſideratur primum origine, eſt facultas nutriens; ſi primum natura & perfectione, eſt facultas rationis compos. Colligamus itaque animam eſſe primum vitæ principium, & cum vita ſit multiplex, reſpiciendo ad gradus viuentium anima eſt primum principium vegetandi, ſentiendi, loco mouendi, & intelligendi. *Diuiſio facultatũ eſt ab vno.*

An Animæ facultates ab eſſentia Animæ ſint diſtinctæ. Cap. IIII.

INTER cætera, quæ de animę facultatibus in dubium vertuntur, hoc eſt præcipuum, an facultates ſint qualitates diſtinctæ ab eſſentia animæ, vel potius ſubſtantiæ ſint ab animę eſſentia non diſtinctæ; qua de re breuibus, lucidè, & diſtinctè agens accipio primò duplicem in viuente conſiderari potentiam, vnam abſolutè agendi, alteram bene & facilè agendi: diſtinctio colligitur ex Ariſtotele nono Metaph. tex. ſecundo: potentia ſecunda conſurgit ex conuenienti temperamento & formatione inſtrumenti, per quam nonnulli acutè dicuntur videre, alij cum difficultate, ita de attinentibus ad cæteras animi partes ſeſe habet; de huiuſmodi potentia nulla eſt dubitatio, proculdubio enim eſt qualitas, eſt diſtincta ab eſſentia animæ, & eſt potius facultas corporis quàm animæ, & potius inſtrumentum quàm abſolute initium operationis. Inſuper ea potentia, quæ prima eſt, & eſt præcipuum princi-

Duplex in viuẽte potentia.

Potẽtia ꝑ bene agendi ab eſſentia diſtinguitur.

Potentia agendi duplex.

principium agendi, adhuc dupliciter accipitur, uel pro abſoluto ſiue in prima ſui ſignificatione, uel pro reſpectu ſuperaddito ac in ſecunda ſignificatione, omnis enim potentia adnexum habet reſpectum: nos modo nõ de ſolo reſpectu dubitamus, ſed de fundamento & de abſoluto:

Potentia pro reſpectu eſt accidens.

proculdubio enim reſpectus, qui ſuperadditur, accidens eſt: dubitatio eſt itaque, an animæ potentia

De potentia pro abſoluto duæ opiniones.

quæ initium eſt operationis ſumpta pro abſoluto ſiue in prima ſignificatione, ſit diſtincta ab eſſentia animæ, vel ne. Qua de re duæ ſunt opiniones.

Prima opinio.

Exiſtimarunt plurimi, ex latinis expoſitoribus huiuſmodi potentiam eſſe qualitatem ab Anima ſiue ſentiente ſiue intelligente diſtinctam, quæ ab Anima flueret; & de nutriente ſiue ſentiente loquendo, potentia in inſtrumento reciperetur: loquendo de intellectu, maneret in eo.

Græcorũ opinio.

Altera eſt opinio Græcorum, & præſertim Alexandri, Gal. in libro quòd Animi mores ſequuntur corporis temperaturam, ac inſuper Scoti, & Gregorij Ariminenſis ſecundo ſent. diſtinctione 16. hi aſſerunt potentiam ab eſſentia animæ non diſtingui: quam ſententiam veriorem exiſtimo, ac eam ita confirmo.

Græcorũ opinio probatur.

Ratio.

Eſſentiæ Animæ & potentiarum eius eadem eſt definitio, ergo eadem natura: & conditio conſequentia patet, probo aſſumptum. Potentia ex 9. Met. eſt principium agendi, Anima pariter definitur quòd ſit principium vegetandi, ſentiendi, loco mouendi, & intelligendi, quare eadem eſt definitio.

Oppoſitio

At ſoluendo inquiunt Animam eſſe initium primum, potentiam eſſe initium inſtrumentarium, cum ſit ueluti inſtrumentum Animæ:

Reſponſio.

ſolutio hæc non ſatisfacit: primò, quia inſtrumentum non dicitur abſolutè initium efficiendi, ſed eſt id quo efficiens operatur, ut in 8. Phyſic. aſſeritur: at Ariſto. in 9. Met. abſolutè dicit potentiam eſſe principium agendi.

Secunda ratio.

Confirmatur, quia Ariſt. 9. Met. contextu tertio omnes

artes

artes potentias nuncupat,& contextu decimo ſenſus nũcupat potentias, & contextu decimotertio naturam ita dicit initium operationis & motus vt potentia. quæ omnia manifeſtè indicant potentiam eſſe verè principium, non autem inſtrumentum. Ars enim, ſenſus, & Natura verè principia ſunt, non inſtrumenta. Præterea natura nunquam ſuperuacaneis abundat, & Ariſtoteles eam imitatus nil ponit niſi quòd eſt neceſſarium, at ſine huiuſmodi facultatibus ab Anima diſtinctis cumulatiſſimè ſuas munerum functiones abſoluere valet Anima, non itaque illæ qualitates & accidentia ſuperaddenda ſunt. Accedit quòd apprimè diminutus fuiſſet Ariſtoteles, ſi putaſſet potentias eſſe diſtinctas, cum nunquam eas vt diſtinctas poſuerit, nunquam declarauerit:ſolum proponit tria declaranda, obiecta, munerum functiones,& potentias: inter hæc ponit ordinem, hæc ſola declarat, quartum nunquam ſuperaddit, immo non dari vbique patefacit, cum indifferenter modò potentias, modò partes, vel particulas Animæ eas appellet: ideo in contextu 20. ſecundi de Anima aſſerit potentias Animæ non eſſe loco diſtinctas, quæ tamen ab illis loco diſtinctæ ponuntur: inſuper in contextu 34. ait, Anima nutriens eſt communis potentia per quam ineſt viuere omnibus: ſimilem quoque ſententiam protulit in textu 48. pariter in textu 21. inquit de intellectu & contemplandi potentia nihil adhuc manifeſtum eſt: quæ omnia manifeſtiſſimè indicant Ariſtotelem non ſeiunxiſſe potentiam ab eſſentia Animæ:ideo ſub initio libri de iuuentute & ſenectute dixit. Aliæ igitur Animæ ſiue partes, ſiue virtutes,qualitercunque oportet vocare, dimittantur nunc. Colligamus itaque eam potentiam quæ eſt initium agendi non diſtingui ab eſſentia Animæ,niſi extrinſecus quatenus ſuperaddit reſpectum ratione ſecun-

Tertium fundamentum.

Quartum fundamentum.

Quintum fundamentum.

Sexta ratio.

Propriæ opinionis collectio.

dæ ſignificationis, & per modum denominandi & concipiendi, per eam enim Anima potens denominatur, rectius tamen potentia diceretur.

Soluuntur dubia nonnulla. Cap. V.

VT DECLARATA veritas clarior fulgeat, nonnulla, quæ eam reddunt obſcuram, reijcienda ſunt, nam ſi potentia animæ ab eius eſſentia non diſtingueretur, ſequeretur primo vnam potentiam ab altera non diſtingui, quæ enim ſunt eadem vni tertio etiam ſunt eadem inter ſe, quare potentia videndi & audiendi eadem eſſet: inſuper ſequeretur quòd vbi una reperitur, reperiretur & altera, adeo quòd cum in pede inſit potentia tangendi, etiam ineſſet potentia videndi, quod eſt abſurdum: non enim inuenitur potentia ſine inſtrumento, alioquin eſſet fruſtra. Prętерea ſi potentiæ non diſtinguerentur ab eſſentia Animæ, ergo vna potentia non moueret aliam, non enim idem mouet ſeipſum, ne ſimul ſit in actu & in potentia reſpectu eiuſdem, at vna facultas alteram mouet, vt ſenſus vim imaginandi quare & inter ſe & ab Anima diſtinctæ ſunt. Demum potentia eſt qualitas de ſecunda ſpecie qualitatis, Anima eſt ſubſtantia: potentiæ ſunt multæ, Anima eſt vna. Ad hæc reſpondens dico ex ſententia Ariſtotelis proculdubio potentias ab Anima eſſentia non diſtingui, locus eſt conſpicuus in primo de Anima 94. vbi inquit, partes Animæ nec inter ſe nec ab Anima ſpecie diſtingui, nomine partium etiam potentiæ denotantur, vt ſuprą manifeſtaui; aſſero itaque potentias Animę intrinſecus non diſtingui ab eſſentia Animæ, neque etiam diſtingui inter ſe, niſi eſſentiæ Animæ ſint diſtinctæ, vt de ſentiente & rationali ſe habet ex opinione

Primum dubium.

Secunda dubitatio.

Tertia dubitatio.

Quarta dubitatio.

Opinio propria.

nione Ariſtotelis, qui in hoc exactè veritatem non cognouit; ſed ſolùm diſtingui extrinſecus; non diſtingui ex parte primi ſignificati ſed ex parte Secundi; non diſtingui re ſed ſolùm ratione: ſic patet ſolutio ad primam difficultatem, nam potentia videndi à potentia audiendi diſtinguitur ratione, extrinſecus, & per potentiam inſtrumenti:& hoc aſſerebatur in primo de Anima 94. vbi dicebat Ariſto. partes Animæ eiuſdem eſſe ſpeciei inter ſe & cum tota Anima:& dum addebatur, quòd tunc vbi vna potentia reperitur, reperiretur & alia, quare in pede inerit potentia videndi: reſpondeo in pede ratione interni principij reperiri potentiam videndi, at non ratione externi & proprij ſenſorij; & hoc manifeſtiſſimè affirmatur ab Ariſtotele in ſecundo de Anima 25. dum inquit, reliquæ partes diſtinctæ ab intellectu manifeſtum eſt quòd ſeparari nequeunt, vt quidam inquiunt, ratione autem quod aliæ, manifeſtum eſt; nam virtutis ſentiendi & opinandi aliud eſt eſſe, cum ſentire differat ab opinari: ſimiliter de cæteris iam dictis ſeſe habet. Hoc ipſum etiam confirmatur per id quod dicitur in ſecundo de Anima cont. 82. quæritur ibi cur non per omnem partem audiat animal: reſpondens Ariſt. non dicit non audire per omnem partem, quia in omni parte non inſit potentia audiendi, ſed ratione defectus inſtrumenti: nam inquit, non enim in omni parte reperitur Aer natus à ſono moueri: & dum dicitur non inuenire potentiam ſine inſtrumento, reſpondeo id eſſe verum de vniuerſo animali non de parte; ſat eſt vt in loco conuenienti animalis reperiatur inſtrumentum. Ad aliud, quia vna potentia mouet aliam, & nil ſe mouet, reſpondeo ſi vna potentia mouet aliam, id non euenit ratione diſtinctionis potentiarum animæ in prima ſignificatione, ſed ratione diſtinctionis earum in ſecunda ſignificatione, ac etiam

Primæ dubitationis ſolutio.

Solutio ſecundi dubij.

Solutio tertio dubitationis.

inſtrumentorum in quibus reperitur & per quæ operatur Anima, ea enim per varia ac diſtincta inſtrumenta vario modo operatur, hac ratione vna facultas dicitur mouere aliam. Ad poſtremum patet ſolutio; nam potentia quæ eſt principium operandi non eſt qualitas niſi ratione noſtri modi concipiendi & denominandi, qualitas ſolùm eſt ea potentia quæ eſt principium bene agendi, quæ conſurgit ex congruente forma & temperamento inſtrumenti: at potentiæ in prima ſignificatione ſolùm diſtinguũtur inter ſe & ab anima ratione & extrinſecus, non re nec intrinſecus.

Quarta dubitationis ſolutio

Quid de uitali facultate ſenſerit Ariſtoteles. *Cap. VI.*

CVM in præcedentibus enumeratæ ſint animæ facultates, iurè quis mirabitur, quia vna præcipua prætermiſſa fuiſſe videtur, cuius Ariſtoteles nullùm fecit verbum, ea autem eſt uis vitalis, quam medici in corde poſitam eſſe affirmant, opera eius ſunt motio Arteriarum per quam diffunduntur ſpiritus per uniuerſum corpus, ac inſuper præparatio ad recipiendam facultatem ſentiendi, & mouendi: eadem quoque conducit ad iraſcendi facultatem ei ſubminiſtrando ſpiritus quaſi fomitem; & demum partes eorum animantium, quibus hæc uis tributa eſt, non nutriuntur, niſi per hanc viuant. Præclara, & conſpicua ſunt huius facultatis opera, quę non ad Animam nutrientem pertinere poſſunt, cum eius tria ſolùm numerentur opera, nutritio, accretio, & generatio, à quibus opera uitalis facultatis manifeſtiſsimè diſtinguuntur. Cum inſuper Anima nutriens Plantis omnibus conueniat, in quibus huiuſmodi vitales operationes

Opera Vitalis.

rationes minimè conſpiciuntur; ac demum cum inſtrumenta naturalis & uitalis facultatis ſint diuerſa, ut conſpicuum eſt: pariter uitalis facultatis opera ad partem ſentientem non pertinent. Vitalis enim ſine cognitione & per naturam operatur: quare apprimè diminutus uidetur eſſe Ariſtoteles, qui de Anima differens tam præclaram facultatem prætermiſit, nec ullum de ea fecit uerbum. Verùm ſi accuratè rem perpendimus, conditionemque uitalis facultatis conſideramus, inueniemus minimè diminutum fuiſſe Ariſtotelem, nec ullam inueniri Animæ partem inter naturalem & ſentientem mediam, quæ ad alteram earum non redigatur. Nam uitalis proculdubio ad naturalem redigitur, ut eminentia eius, ac ut diſpoſitio ad ſentientem: ideo Ariſto. per facultatem nutrientem dixit mortalibus uitam competere: quod confirmatur ex modo operandi, nam uitalis per modum naturæ & ſine cognitione operatur, eius operatio pendet ex coctione & feruore caloris in fonte eius; quæ autem ex coctione conſurgunt, ad nutrientem pertinent: ac inſuper ille feruor, ille motus cordis & arteriarum cum conditionibus agentis per naturam abſoluuntur, iurè itaque ea facultas ad naturalem ſiue nutrientem redigitur; hinc nouum & diſtinctum uiuentium gradum non conſtituit: quod demum confirmo, quia inquiunt membra animalium non nutriri niſi uiuant, infero ego, ergo uis Vitalis non ſequitur ut diſtincta à naturali, quia ſequens facultas non diſponit ad præcedentem, ſed uel antecedit uel eſt gradus eius: cum autem nutrienti non antecedat inferendum eſt uitalem eſſe gradum quendam eius; redigitur itaque uis uitalis ad naturalem, & non una in epate, altera in corde, ſed ambæ in corde ut in principe ſede locum habent.

Vitalis ad naturalem redigitur.

Solu-

Solutio difficultatum. Cap. VII.

VERVM quia ea, quæ pro altera parte adducta ſunt, difficultatem non exiguam afferunt, propterea ut ea quoque diluantur, & ueritas fulgeat clarior, prętermiſſis quæ hac de re dicuntur ab alijs, hac ratione & uia eis ſatisfaciendum iudico. Ex Animæ cum corpore coniunctione uita conſurgit, quæ uita uel eſt illud eſſe quod ab Anima tribuitur, uel eius operatio. Vt anima in uiuente ſeruetur, neceſſarius eſt ſpiritus ſiue calor ille, qui influens vt rectius infuſus nuncupatur, diſtinctus à calore proprij temperamenti membrorum; propterea prima uitæ operatio eſt diſtributio & conſeruatio illius caloris, quod cum fiat per alimenti concoctionem & per naturam, ſolùm ad Animam nutrientem pertinere poteſt; quæ iure initium uitæ Animantium eſſe dicitur: hic calor in nonnullis uiuentibus eſt exiguus, ut in plantis, nec pendet ab una aliqua principe parte in medio collocata, ſed ab aliqua ferè per totum corpus extenſa: & huiuſmodi exiguus calor ſolùm parat pro nutritione, accretione, & generatione; quæ enim non uiuunt, non nutriuntur. Pulſus arteriarum in eis non reperitur, nec præparatio ad ſenſum, cum exiguus ſit calor ille, & Anima nutriens non omnibus ſuis numeris abſoluta. At cum uis nutriens fuerit eminentior, eiuſque calor ualidior, ac feruentior, ex feruore conſurgit pulſus arteriarum, & ſequitur præparatio ad ſenſum, ac etiam ad motum uoluntarium, ut in animalibus abſolutioribus: & hæc omnia iurè eueniunt, nam quia uita eſt fundamentum omnium operationum corporis uiuentis, ideò uis uitalis ad cæteras diſponit, & in corde ut in omnium

par-

partium principe reſidet, nec datur uita ſine nutritione. Ex his conſtat uitalem facultatem ad naturalem redigi: conſtat inſuper eam uitalem facultatem, quam ponunt à naturali diſtinctam, eſſe eminentiam, abſolutionem, & exceſſum quendam facultatis naturalis; qui non in plantis, ſed in abſolutioribus uiuentibus reperitur. Et dum dicebatur ad naturalem non redigi, quia tria ſola ſunt eius opera. Reſpondeo tria eſſe opera magis neceſſaria communia omnibus gradibus uiuentium; cætera eſſe diſpoſitiones ad ea uel ad alia, quæ ob id egent pluribus inſtrumentis, cum ſint opera facultatis, quæ ad plura extendi poteſt, non autem quia ſint facultates uerè diſtinctæ, & modo uario operentur: iurè itaque Ariſtoteles Animæ nutrienti tribuit, vt ſit vitæ principium, & uitalem à naturali diſtinctam minimè ponit.

Quæ Animæ facultas ualeat ſeorſum ab alijs reperiri. Cap. VIII.

MORTALIVM & æternorum longè diſtincta eſt ratio, modusque ſe ſe habendi: in æternis enim quæ abſolutè præſtantiora ſunt, etiam origine ſunt prima, & ab alijs præſupponuntur; in mortalibus ſe habet econtra: nam priora origine ſunt perfectione poſteriora, & quæ ſunt magis neceſſaria, ſunt nobilitate poſtrema: neceſſaria eſt materia, & origine prima, at dignitate & natura eſt poſtrema: idipſum in animæ gradibus inſpicere licet. Anima nutriens apprimè eſt neceſſaria ac inſuper eſt origine prima, ideò ea in plantis ſeorſum ab alijs animæ gradibus reperiri, & ſeruari poteſt (cum cæteræ animæ partes

Eſſendi diſtinctio æternorum, & mortalium.

tes ſine hac nec eſſe nec ſeruari ualeant) & iure hoc euenit, nam anima nutriens eſt ueluti radix cæterorum gra duum, & per eam ſeruatur & continenter reficitur calor ille, qui infuſus nuncupatur, ſine quo anima in mortali corpore nec eſſe nec operari ualet: ideò ex ea quoque prodeunt illa opera, quæ uel pro indiuidui uel pro ſpeciei conſeruatione neceſſaria ſunt. Sed pulchra oritur dubitatio, ſi in mixtis inanimis, ut in metallis & foſſilibus, ſine reſtauratione ſeruatur calor temperamenti, cur etiam in uiuentibus calor eorum ſine reſtauratione non ſeruatur? & præſertim cum omnis mortalium calor eiuſdem ſpeciei ſit? Ad hoc reſpondens aſſero id iurè euenire: nam calor, qui infuſus dicitur, & eget in corpore uiuentium principio aliquo in quo reficiatur, eſt, ueluti flamma quædam, & tenuis feruor ac ſpiritus: flamma autem, ut ſeruetur, eget continua reſtauratione & regeneratione, propterea non ſecus ac flamma reficitur & ſeruatur, ut docuit Ariſtoteles in libro de morte & uita, nec non de longitudine & breuitate uitæ, calor autem temperamenti ſolidorum corporum ſecus ſe habet. Inſuper hoc etiam pendet ex alia cauſa, nam uiuentia ſunt corpora diſſimilium partium communi quodam ſpiritu iuncta & ligata quæ inuicem agunt & patiuntur, mutuoque ſe reſoluunt ac alterant, ideò egent reſtauratione, quod non conuenit mixtis ſimilium partium: Iurè itaque anima nutriens eſt neceſſaria, & à cæteris omnibus ſupponitur, non econtra. Hinc exploditur error Academicorum, qui aiunt dæmonibus conuenire ſenſus, non autem nutritionem: nam ſenſus ſine inſtrumento non inueniuntur, commune inſtrumẽtum ſenſuum ſunt ſpiritus & tenuis ſanguis, hæc ſine nutritione eſſe & ſeruari non poſſunt. Pariter exploditur error eorundem, qui cœlo ſenſus uel omnes

Dubitatio. *Solutio.* *Error Academicorum.*

uel

vel potiores conuenire affirmarunt:& longè magis dam nandi ſunt nonnulli ex interpretibus Ariſtotelis, qui idipſum ex ſententia Ariſtotelis aſſerere audent.Nam quæro ab eis,uel propriè accipiunt nomen ſenſus, vel ſolum per metaphoram:ſi propriè,cum ſint perfectiones organorum, ſine eis eſſe non poſſunt, neque obeunt munera ſua ſine perpeſſione, quæ longè abſunt à cœlo: ſi per metaphoram, non per metaphoras docuit Ariſtoteles, nec per metaphoras debet exponi, cum eas reiecerit à ſua Philoſophia. Inſuper quæro de veritate & fundamento metaphoræ: ſi dæmonibus & cœlo metaphoricè conueniunt ſenſus,vel ideſt verum in eminētia, quia eis conuenit intellectio eminentior omni ſenſatione,& hoc ad rem non facit, ſic enim ſolum intelligere eis propriè conueniet: vel id eſt verum, quoniam verè ſentiunt ſenſibilia, ſed vario modo ac faciant mortalia, inquiunt enim per omnem partem audire vel videre; & hoc minimè dicendum eſt, quia ſic ea operatio per corpus abſoluetur, & per facultatem animæ à mente diſtinctam: at omnis animæ facultas infra mentem poſita mortalis eſt; omnis animæ facultas, quæ inſtrumento corporeo vtitur, à corpore pendet, per corpus eſt diuidua & ob id morti eſt obnoxia; quod de facultatibus animæ cœli dicendum non eſt: miſſum facio quòd huiuſmodi ſenſus æterno corpori nullam præbent vtilitatem, propterea ſuperuacanei penitus eſſent: colligamus itaq; nu trientem animam poſſe ſine ſentiente ſeruari, at non econtra, mentem verò in æternis ſeiunctam à cæteris inueniri, at in mortalibus nequaquam.

Error quorundā Peripateticorum.

De facultate appetente quotuplex ſit, & quibus conueniat. Cap. IX.

QVONIAM omnia à bono pendent, ideo omnia ſeruant inſertam ac ingenitam imaginem quandam, & veluti caracterem boni, per quem vertuntur in bonum, ac ipſum pro ſuæ naturæ conditione appetunt: inde oriuntur tot appetionum gradus, quot ſunt gradus rerum à primo principio pendentium. Materia omnium infima eatenus dicitur bonum appetere, quatenus ex ſui natura eſt maximè parata ad recipiendas formas, & ad eas eſt procliuis. Si ad elementa eleuamur, & ad inanima corpora, in eis ſecundus appetitionis gradus refulget; cum appetant ſui conſeruationem, ſui propagationem; ſuique loci adeptionem; qui appetitus nil aliud eſt niſi propenſio inſequens formam, vt natura eſt, à naturæ principe pendens, in conuenientem finem directa. Dum ab inanimis aſcendimus ad plantas, tertius in eis conſurgit appetitionis gradus ſecundo ſummopere ſimilis, ambo enim à forma pendent, vt naturæ ſunt ſine cognitione operantes: huiuſmodi appetitiones, quamuis proximè ex cognitione non conſurgant, cognitionem tamen eminentiſſimam primi opificis præſupponunt, à quo cum natura pendeat, quia bonus eſt, in bonum & conuenientem finem dirigitur: eſt itaque huiuſmodi appetitus proximè cæcus, eminus verò oculatiſſimus. Aſcendendo mox ad ſentientia quartus conſurgit appetendi gradus ex cognitione ſenſuum prodiens, cognitio eſt dirigens, appetitus proſequens. Hic appetitus duplex eſt: vel enim reſpicit voluptates, eas præſertim, quæ ad guſtatum & tactum

Primus appetitionũ gradus.

Secundus gradus.

Tertius gradus.

Quartus gradus.

Appetitus in ſentientib⁹ duplex.

ctum pertinent, & nuncupatur epithimia ſiue cupedia, uel cupiditas: vel reſpicit honores, iniurias, remotiones impedimentorum,& dicitur θυμὸς ſiue iraſcendi facultas: primus magis tendit ad finem, alter ad ordinata in finẽ, & ambo in corde reſident,quamuis Plato,& cum eo Galenus ſecus ſentiant. Demum ſi ad mentem vel ad intellectum eleuamur,ſupremus fulget appetitus: quí etiã duplex eſt, nam vel reſpicit finem, & dicitur voluntas; uel ordinata in finem, & dicitur prælectio. Huiuſmodi appetitiones ex cognitione conſurgentes ita ſe habent, vt ab eadem facultate cum cognitione proueniant vario modo ſe habente ac conſiderata: vt enim appetens ſola ratione diſtinguitur à ſemetipſa, quæ cognoſcens eſt; hinc vna ab altera ſubiecto non ſeiungitur, ſed cui conuenit vna; etiam conuenit altera: quare cunctis animalibus ne dum ſenſus verùm etiam appetitio conuenit. De imaginatione quoque idipſum ſentiendum eſt,quoniam appetitus ſine imaginatione & interna aliqua rei delectabilis apprehenſione non excitatur: aſſero tamen imaginationem eſſe duplicem, vnam cum ratione iunctam, alteram ſine ratione, & hæc adhuc eſt duplex; vel exacta, & omnibus ſuis numeris abſoluta, vel obſcura, leuis, & diminuta; cunctis animalibus, vt ſenſus & appetitus,ita imaginatio conuenit, niſi exacta ſaltem obſcura & inchoata:quæ ab exacta triplici potiſſimum differentia diſtinguitur,primò ratione inſtrumenti, ſecundò quia imaginatio confuſa ſolùm circa præſentia verſatur,altera circa abſentia; demum quia imaginatio exquiſita,diſtinctiores,& plures recipit imagines,& ad libitum nouas format,altera minimè.

Quintus gradus. Appetitus in mente duplex.

Vbi appetitus illi & ſenſus, & imaginatio.

Imaginatio duplex

Imaginationis imperfectę, a perfecta triplex differentia.

Dubia nonnulla ad appetitum pertinentia. Cap. X.

Primum dubium.

Secundū.

DVO præcipua dubia occurrunt: vnum eſt, an in homine vnica appetendi facultas inueniatur, vel potius plures: alterum eſt, quæ facultas principatum obtineat, num cognoſcens vel potius appetens. De primo cenſent nonnulli vnicam in nobis eſſe appetendi facultatem, quæ modo à ratione modo à ſenſu excitetur: Huius opinionis videtur fuiſſe Themiſtius, qui in 3. de Anima 52. inquit, ut nil prohibet vnum eſſe ſentiendi principium, quamuis quinque ſint ſenſus; ita nil obſtat quin vna ſit appetendi vis, actiones verò tres, quas appetitus exerceat, iraſcendi, concupiſcendi, volendi; quæ ſententia ex Ariſtotele quoque videtur poſſe colligi: nam in tertio de Anima 42. ait abſurdum eſſe appetendi facultates diuellere. Ac inſuper ait motus principium eſſe vnum, motus autem principium eſt appetendi facultas. Hanc ſententiam approbandam non cenſeo: primò quia inquit Ariſtote. in 3. de Anima 29. appetitum ſola ratione diſtingui à facultate cognoſcente, quare appetitus facultatis ſentientis eſt idem cum ſenſu, uoluntas eadem cum intellectu, at ſenſus & intellectus ex opinione Ariſtote diſtinguuntur, ergo etiam appetitus ſenſitiuus à voluntate. Præterea appetitiones frequenter pugnant inter ſe, vt conſpicuum eſt in uiro continente & incontinente, qui per appetitiones in oppoſita diſtrahuntur, at idem ſecum minimè pugnat: confirmatur, quia ex appetionibus ea quæ attinet ad ſenſum ex ſe rationis eſt expers, & ad eam pertinent perturbationes; voluntas

Opinio Themiſtij circa primum.

Opinio Themiſtij reijcitur.

eſt rationis compos, & ad eam perturbationes non pertinent: hæc manifeſtè indicant eſſe facultates diſtinctas. Ad Ariſtotelem dico tunc præſertim eum reſpexiſſe in Platonem, qui appetendi facultates loco ſecernebat, hoc reijcit Ariſtot. putat enim omnes in corde ſedem habere: addo inſuper appetitiones ſenſus maximè inter ſe iunctas eſſe vt etiam appetitiones intellectus, at appetitio ſenſus ab ea intellectus maximè diſtinguitur, ea ſenſus eſt initium proximum motus, altera ſolum remotum. Cum uerò facultas appetens à cognoſcente ſola ratione diſtinguatur, quæritur ſub qua ratione præſtantior ſit, nũm vt cognoſcens, vel potius vt appetens: ardua eſt quæſtio, de qua non idem Scotus cum D. Thoma, nec Philoponus cum Simplicio ſentiunt: longum eſſet omnium fundamenta referre nec valde vtile, cum apud eos cumulatiſſimè legi poſſint: propterea prætermiſſa diſputatione affirmo facultatem ſub ratione cognoſcentis ſibi met vt appetenti eſſe præferendam, quod probo: primò, quia facultas ut cognoſcens facultati cognitionis experti præfertur; facultas vt dirigens facultati quæ dirigitur anteponitur, cœcus eſt appetitus & à facultate cognoſcente dirigitur, iurè itaque ei cedit, & nobilitate poſtponitur: pari ratione conſultor ab Ariſtot. in ſua R. P. maximè operari dicitur, cum ſit Dux & Princeps vniuerſæ operationis. Inſuper in cognitione conſideratur perfectio & quies, in appetitu priuatio & motus, qui eſt actus imperfectus ad appetibile tendens, ea quæ cognoſcimus, vt cognoſcimus poſſidemus, re autem appetibili caremus, cum ea ſola appetamus, quorum priuatio nobis conuenit. Præterea quod alio non eget vt principali principio pro ſuo munere obeundo liberius & præſtantius eſt, appetitus pro ſui conſtitutione eget cognitione, ut in principali principio non econtra,

Solutio fundamen torũ Themiſtij.

Secundi dubij propria opinio.

Facultas cognoſcẽs appetenti p̃ferẽda.

tra, quare cognitio eſt præſtantior; hinc appetitus dicitur qui cognitionem vt umbra corpus, umbra autem eſt aliquid imperfectum nec debet corpori dignitate præferri. Demum, vt contemplatio ad actionem ſe habet, ita facultas cognoſcens ad appetentem, ſed contemplatio actioni dignitate præfertur, ſic Ariſtoteles in contemplatione ſupremum felicitatis gradum collocauit: Quare ex ſententia Ariſtotelis facultatem cognoſcentem appetenti præferendam exiſtimo. Immo aſſero omnem eam dignitatem ac perfectionem, quæ in appetitu conſideratur, eminenter ac ut in principe in facultate cognoſcente includi: nam ſi appetitus ad bonum tendit id habet à cognitione dirigente, intellectio enim eſt principium; & res non quia expetitur videtur bona, ſed quia videtur bona ideo expetitur, in 12. Metap. 36. docuit Philoſophus. Inſuper fruitio eminentiſſimi, obiecti præſertim facultati cognoſcenti conuenit, quoniam præſtantiſſimum obiectum eſt bonum contemplabile, quo feliciſſimè per contemplationem fruimur, appetitus verò eiusque exptetio ſolùm conſequitur ut comes, per quem facultas cognoſcens cumulatè & firmius cum ſuo obiecto nectitur & confirmatur.

An Anima ſit tota in quauis parte.
Cap. XI.

MAGNA inter viros ſapientes eſt controuerſia an anima ſit tota in quauis parte, uel potius ſit pars in parte & tota in toto, uel demum tota in una parte ſit collocata. Præcipui ex Platonicis, ut Proculus, Plotinus, Iamblicus, Numenius, & alij aſſerunt omnem Animam eſſe in toto totam, & totam

Platonicorum Opinio.

in ſingulis partibus; cuius opinionis etiam fuit Simplicius, nam inquiunt perinde ſe habere de anima, ac de virtute ſeminis; at percipimus informatricem uirtutem ſeruari totam in quauis parte ſeminis, adeo quòd ſi genitura in uarias diſtribuitur partes in utero recipientis, etiam uarios producit fœtus, quare longè magis anima erit in quauis parte tota cum ſit præſtantior, & magis ſupra corpus & eius dimenſiones eleuata. Hoc videtur affirmare Ariſtoteles in ſecundo de anima contextu 20. cum afferat animæ partes eſſe diſtinctas non loco, ſed ratione; adeò ut cum anima ſit una actu, ſunt plures poteſtate; & in libro de iuuentute & ſenectute aſſeruit animalia inſecta ſe habere, perinde ac plura animalia iuncta & colligata. Alij inueniuntur, qui cum his conſentiunt, quatenus animam indiuiduam ponunt. diſſentiunt tamen, quia negant inueniri totam in quauis parte corporis, ſed totam inueniri aſſerunt in determinata corporis parte, nempe in corde, & inde per uniuerſum corpus ſuas vires diffundere: nam animal eſt paruus mundus, anima pro portione reſpondet Deo, Deus in principe mundi parte ab Ariſtotele dicitur collocatus quare pariter de anima ſe habebit. Hinc conſpicimus dum uia clauditur à corde ad alias partes, remanere partes illas, cum à facultate ſentiendi tum ab ea mouendi deſtitutas. Hoc uidetur aſſeruiſſe Ariſtoteles in calce libri de progreſſu Animalium, ubi animam in principe corporis parte tanqam in arce eſſe collocatam affirmauit, & in libro de iuuentute & ſenectute aſſeruit Animam non eſſe corpus, ſed in parte corporis aliqua, & in medio eſſe poſitam. D. Thomas in parte cum his conſentit, in parte diſſentit: conſentit loquendo de anima perfectiorum Animalium, quam diuidi non poſſe affirmat: idque probat ex eo, quia formæ, quæ non poſſunt

Aliorum opinio.

D. Thomæ opinio.

for-

formare partem ſeorſum à toto, indiuiduæ ſunt; quod enim diuiditur ad diuiſionem alterius, remanet in partibus rei diuiſæ: At Animæ perfectiorum Animalium ſic ſe habent, non enim ſeruantur in partibus diuiſis animalium, ideo non ualent formare partem ſeorſum à toto, & proptera indiuiduæ ſunt: de his itaque conſentit: differt verò loquendo de Anima Plantarum & inſectorum, quàm extenſam & diuiduam affirmat, cum valeat ſeruari in partibus ſeorſum à toto.

Reijciuntur enumeratæ opiniones. Cap. XII.

Prima ratio contra Academicos.

ENVMERATAE opiniones longè profectò diſtant à verò, & à ſententia Ariſtotelis: primò non ſunt conſentaneæ rationi, quoniam affectio formæ abiunctæ, vt abiuncta eſt, non poteſt formæ à materia pendenti conuenire; at non diuidi ad diuiſionem ſubiecti, & in maiori non eſſe maiorem, in minori minorem eſt affectio formæ abiunctæ; quare formæ pendenti à materia non conuenit: minor patet ex Ariſtotele in calce octaui Phyſi. vbi ſolam formam abiunctam manifeſtat non diuidi ad diuiſionem ſubiecti, formas verò à materia pendentes inſequi aſſerit extenſionem corporis, & in maiori maiorem, in minori extenſione eſſe minorem affirmat. Confirmatur, quia forma cur diuiditur, vel extenditur? proculdubio non alia de cauſa, niſi quia educitur e potentia ſubiecti, pendet ab eo, ac in eo recipitur mediantibus dimenſionibus: quare omnis forma, quæ participat huiuſmodi conditiones, diuidua erit, & pars erit in parte: ita autem ſe ſe habent ex ſenteutia Ariſtotelis omnes animæ gradus excepto intellectu. Hoc ipſum in nono contextu ſecundi de anima affirmauit Ariſtoteles inquiens, vt pars

Ani-

Animæ ad partem corporis, ita Anima tota ad totum corpus, uoluit itaque in parte partem reperiri, non totam Animam. Inſuper aduerſus eos, qui in ſolo corde Animam eſſe poſitam affirmant, ita argumentor ſolum cor non eſt totum animal, ergo in ſolo corde non reperitur tota Anima: conſequentia deducitur ex primo de anima 87. vbi inquit Ariſtoteles, non dicere animal id, cui inſit anima, abſurdum eſt. Idipſum confirmatur ex ſecundo Phyſic. & ex ſecundo Poſt. à forma ad formatum valet conſequentia, adeſt forma equi, ergo equus; & ſic de ſingulis; confirmatur, quoniam cæteræ partes viuunt, nutriuntur, & ſentiunt, hic eſt actus ſecundus, qui non reperitur ſine primo: cum itaque in cæteris partibus eluceat operatio Animæ, & operatio nobis patefaciat formam, forma eſt Anima quare in cæteris partibus etiam reperitur anima. Et confirmatur, quia anima eſt actus corporis inſtrumentarij, per corpus inſtrumentarium non denotat Ariſtoteles ſolum cor, uel quod ei proportione reſpondet: quod patet ex eius declaratione, nam inquit folia eſſe inſtrumenta pro conſeruatione inuolucri fructuum, inuolucrum uerò eſſe inſtrumentum conferens ad cōſeruationem fructus: quare nō in ſolo corde eſt anima, alioquin ſequeretur, quòd cæteræ partes non eſſent eſſentialiter inſtrumentariæ, animatæ, ac uiuentes. Sententia etiam D. Thomæ mihi uidetur dubia, quoniam non ſola anima plantarum & inſectorum diuidua eſt, verùm etiam omnis alia anima ſecluſo intellectu, cum omnis alia pendeat à corpore, & ad corporis diuiſionē diuidua ſit: quod manifeſtè aſſeritur ab Ariſtotele in contextu 2 c. ſecundi de Anima, ubi aſſerit animā eſſe diuiduam, eſſe actu vnam, potentia plures: At reſpondet D. Thomas, id eſſe dictum de Anima plātarum & inſectorum, non de ea perfectiorum animalium.

Secunda ratio contra ſecundam opinionem.

Tertia ratio aduerſus D. Thomam.

Hæc ſolutio non videtur ſatisfacere, quoniam Ariſtoteles cum de plantis & inſectis, tanquam de illis de quibus id magis patet, & gratia exempli id dixiſſet, addit ita ſeſe habere de alijs Animæ differentijs, & in cõtextu 21. ſolùm excludit à conditione hac intellectum, de quo nil ad huc eſſe manifeſtum affirmat. Confirmatur, quoniam Ariſtoteles in textu 19. dubitauerat ob Platonis ſententiam an potentiæ Animæ ſint loco ſeiunctæ: & ſoluendo manifeſtat, non loco, ſed ratione tantùm eſſe ſeiunctas, & de ſolo intellectu ſecus ſe habere affirmat: at niſi id, quod dixerat, de omni Animæ facultate, eſſet verum non ſoluiſſet dubitationem, & minus rectè ſolum intellectum ſecus ſe habere aſſeruiſſet. Accedit quòd per datam ſolutionem poſſemus, pro Platone dicere, facultates illas ſaltem eſſe loco ſeiunctas in Animalibus perfectioribus de quibus loquebatur Plato.

Solutio dubitationis. *Cap. XIII.*

Gradus Animę duplex.

SOLVENDO itaque difficultatem dico gradus Animæ duplicis eſſe generis; vel enim à corpore non pendent, vt anima rationis particeps; vel pendent à corpore, & ſunt eductæ ex potentia materiæ, ut cæteri gradus eius: ſi à corpore non pendent, minimè extenduntur, & ob id diuidi non poſſunt, ſed vbi ſunt totæ ſunt, extenſio enim omnis & diuiſio ex materia quanta ducit ortum: ſi uerò pendent à materia, quoniam non ex parte ſed ex vniuerſa illius corporis materia ſunt eductæ, nec informare ualent materiam ex qua non ſint eductæ, nec valent de ſubiecto in ſubiectum migrare; propterea ſunt extenſæ, & natæ diuidi. Huiuſmodi facultates Animæ

Anima quæ à corpore non pendet nõ extẽditur.

Anima à corpore pẽdens extẽditur.

poſſunt

poſſunt multipliciter conſiderari: nam primò conſiderari poſſunt, vt ſunt quantæ ex accidenti per extenſionem; & ſic totum eſt in toto, & pars in parte; & in maiori parte eſt portio maior, in minori minor, ut in calce 8. Phyſic. de vniuerſo genere formarum & à materia pendentium aſſerebat philoſophus. Hæc tamen eſt differentia inter Animam inſectorum, & perfectorum Animalium: quia Anima inſectorum, vt etiam ea plantarum, poteſt in partibus diuiſis aliquādiu ſeruari; quod prouenit ex imperfectione earum, non enim ſubiectum ita elaboratum expoſcunt: inſuper id pendet ex varia conſtitutione corporum, nam partes plantarum & inſectorum ſatis ſunt conſimiles; & id, quod cordi proportione reſpondet per uniuerſum corpus eſt extenſum. In hoc itaque conſimiles ſunt omnes formæ à materia pendentes, quòd ſunt diuiduæ ad diuiſionem corporis, & partes earum ſunt in partibus. Differunt tamen Animæ à cæteris formis duplici differentia: primò, quia Animę integritas expoſcit quandam integritatem corporis, & nexum partium præcipuarum eius, cum ſit perfectio corporis inſtrumentarij: ſecundò, quia non æquè reſpicit quamcumque partem corporis, ſed unam præſertim à qua pendet pro ſui conſeruatione, & id prouenit ex conditione communis inſtrumenti eius, nempe ſpirituum, quorum vnum in corpore eſt initium. Ad hoc reſpiciens Ariſtot. dixit Animam eſſe in medio, & in præcipua corporis parte, tunc enim non uniuerſam eius extenſionem conſiderabat, ſed ſedem præcipuam. Anima itaque mortalis ratione extenſionis eſt tota in toto, & pars in parte: uerùm ſi ſecundò conſideratur Anima, vt totum quoddam ratione intenſionis, perfectionis, & latitudinis ſuę eſſentiæ, ſic eſt tota in quauis parte: quam intenſionem dum conſideramus, ea quæ eſt in parte po-

Anima materialis triplici modo conſideratur & primo.

Differentia inter animam inſectorum & perfectorum animalium.

Secundus modus conſiderationis animæ materialis

tius debet dici forma partis, quàm pars formæ: nam eſſentia formę non ita includit extenſionem, vt in vna parte vnus, in alio alius inſit ſuæ latitudinis gradus; immo Anima caret huiuſmodi gradibus, per quos cum ſucceſſione recipiatur, vt recipiuntur accidentia. Tertiò ſi Anima conſideratur, ut totum diſtinctis facultatibus, quaſi gradibus ab eſſentia Animæ non ſeiunctis præditum, ita quoque eſt tota in quauis parte: nam vis nutriendi eſt in uirtute ſentiendi, vt triangulus in quadrato, ex eis enim conſurgit una forma non diſſimilis, ſed conſimilium ſuæ extenſionis partium: ſic demonſtrauit Ariſtot. partes ſiue facultates Animæ loco non diſtinguit. Et ſi quis dubitet de oculis, & de auribus, in quibus uariæ inueniuntur facultates ſentiendi, dicendum eſt facultates organorum eſſe quidem diuerſas, at facultates animæ, quæ ſunt eædem cum eſſentia Animæ, non eſſe diuerſas, ut in præcedentibus apparuit. Ex his conſpicuæ ſunt ſolutiones omnium difficultatum: nam dum oſtenditur Animam eſſe totam in quauis parte exemplo uirtutis ſeminum dico per id ſolùm oſtendi, quòd eſt tota in quauis parte conſiderando totum pertinens ad eſſentiam & facultatem, non autem ad extenſionem. Ad Ariſtotelem, qui dicit in quauis parte ineſſe totam Animam, reſpondeo ineſſe totam ratione potentiarum, non autem quòd non ſit verè extenſa & diuidua: at de his ſatis.

Finis Libri Tertij.

PETRI DVODI
FRANCISCI D· MARCI
PROCVRATORIS FILII
De Anima Liber Quartus.
Et eſt de Anima nutriente.

Nutritionem prouenire ab Anima. Cap. I.

NATVRA, quæ abſolutiſſima eſt, & nullum gradum prætermittit inanem aſcendendo à gradu inanimorum ad gradum animantium, ab obſcuriſſimo orditur; & ab eo quod inanimis adeò eſt ſimile, vt plurimi exiſtimauerint eorum initium non eſſe Animam, ſed eſſe naturam infra Animam collocatam: huiuſmodi eſt gradus plantarum, & uis ea, per quam Animalia nutriuntur: nec iniuria videntur fuiſſe huius ſententię, cum facultas hęc ſine cognitione & cum conditionibus agen-

tis per naturam operetur, ac inſuper cum videatur nutritio igni primò competere, & per ignem mox alijs; ignis enim continenter nutritur, & reſtauratio caloris viuentium ſimillima eſt conſeruationi & reſtaurationi igneæ flammæ. Hinc à medicis opera nutrientis facultatis nuncupantur naturalia. Verùm quam longè hæc opinio abſit à uero, facilè conſtat, dum opera nutrientis facultatis conferuntur cum operibus ignis & aliorum non viuentium: nam ſi reſpicimus nutritionem, percipimus viuentia nutriri per inſtrumenta, vt per venas & ſimilia, nutriri per conuerſionem alimenti in humores quoſdam medios, nutriri ſingulas partes, conſeruando conuenientem rationem alimenti ad rem nutritam, & demum moueri alimentum ad oppoſitas differentias viuentis: hæ conditiones in ea ignis regeneratione, quæ ſimilitudine tantùm dicitur nutritio, minimè inueniuntur. Accedit quòd ea conſeruatio caloris infuſi in viuente per multos annos non niſi auxilio Animæ poteſt viuentibus conuenire. Idipſum ſecundò patet conſiderando modum accretionis viuentium, creſcunt viuentia per omnes partes ſeruata proportione, ſeruata figura viuentis, & creſcunt vſque ad certum terminum, qui terminus variorum viuentium varius eſt: de ignis accretione non ſic ſe habet, non enim quæuis ignis pars ſeruata proportione creſcit, nec eadem ſeruatur figura, cum ignis careat propria figura, & ſolùm ad pyramidem vergat ob propenſionem ad locum surſum, ſic alimentum eius ſolùm tendit ſurſum; demum accretionis ignis non certus eſt terminus ratione ſui, nec diſtinctorum ignium termini ſunt diſtincti, ignis enim eſt veluti aggregatum ex multis numero ignibus: ac vt numerus indiuiduorum ſub ſpecie ex parte ſpeciei non eſt determinatus, ita nec accretio ignis cum ſit

Reiectio huius opinionis.

Primũ fundamẽtum.

Differentia nutrientis facultatis, ab opere aliorum inanimatorum.

Secũdum fundamentum.

ſit ueluti ſpecies ex multis indiuiduis conflata, eſt determinata; ſed eius terminatio pendet ab alio, nempe uel à combuſtibili ut à cauſa ſine qua non, uel ab ordine uniuerſi: at uiuentia ex ſe habent certum terminum ſuæ accretionis. Demum idipſum confirmatur, conſiderando attinentia ad generationem: uitæ expertia generant ſibi ſimile immediatè per actionem & perpeſſionem primarum qualitatum, at uiuentia generant mediante ſemine & uirtute informatrice; idque faciunt uel in utero fœminæ conſimilis, uel in ſinu terræ quaſi in utero communis matris: conſtat itaque hæc non eſſe opera naturę ab Anima diſtinctæ, ſed eſſe opera Animæ ſummopere ſimilis naturæ infra Animam collocatæ ob quam ſimilitudinem nuncupantur frequenter opera naturalia, & præſertim ob ſimilitudinem in modo operandi. Fundamẽtum tertiũ

De alimento. Cap. II.

QVONIAM pro facultatum declaratione, ab obiecto ueluti à magis conſpicuo ordiendum eſt propterea ut Anima nutriens eluceſcat, ab alimento, quod eius eſt commune obiectum & ueluti materia in qua uerſatur, ſumendum eſt initium. Pro conſtitutione alimenti quatuor requiruntur; primò ut ſit contrarium ei quod alitur, ſecundò ut ſit natum in illud permutari, tertiò ut ualeat illud augere, demum ut ad id quod alitur ſe habeat perinde ac materia ad formam. Dum dicimus alimentum eſſe contrarium, non ſolùm denotatur oppoſitio inter formam & priuationem quæ in ſubſtantia reperitur, uerum inſuper contrarietas externa qualitatum, quoniam in nutritione reperitur actio & paſſio, quę ſine qualitatum

Alimentũ facultatis nutrientis obiectum.

Ad alimẽti conſtitutionem quatuor reqri.

Prima ratio.

Quæ nam contrarietas requiritur in alimento.

Similitudo i alimẽto quæ. contrarietate fieri non poteſt. Dicimus alimentum eſſe contrarium in principio ſimile in fine, contrarium forma ſimile materia, contrarium actu ſimile poteſtate.

Alimenti quatuor gradus. In alimento varij conſiderantur gradus, datur alimentum poſtremum, proximum, remotum, & remotiſſimum: At non conſtat quod nam cenſeri debeat alimentum vltimum ſiue poſtremum. Quid intelligat per alimẽtum poſtremum. Nonnulli id eſſe volunt, quod proximè vertendum eſt in ſubſtantiam viuentis, ita ſanguis ab Ariſtotele in 2. de partibus Animalium Opinio Themiſtij cap. 3. nuncupatur alimentum vltimum, pariter in libro de iuuentute & ſenectute: huius ſententiæ fuit Them. ideo ſanguinem aptum pro nutritione partis aſſerit eſſe

Confutatio huius opinionis. alimentum vltimum. Quam ſententiam non cenſeo ueram, nam vtor ratione Ariſtotelis: Prima ratio. ſanguis ille debet verti in carnem, ergo eſt contrarius, ergo non eſt id alimentum quod in fine dicitur ſimile. Secunda ratio. Inſuper vtor ratione Alexandri capi. 10. ſui primi libri de Anima, quia alimentum rei alitæ eſt alimentum, res alita eſt ea cui facta eſt adiectio, & quod ei additum eſt verè ſimile eſſe dicitur. Sumpſit Alexander hoc ab Hippocrate referente Galeno primo de naturalibus facultatibus cap. 11. vbi aſſerit nutrimentum eſt quod nutrit, quod uero nutriturum eſt, ueluti nutrimentum eſt ſiue futurum nutrimentum. Rectior itaque eſt ſententia Alexandri,

Gręcorũ aliorum opinio ꝓbatur. quæ etiam fuit Philoponi, Galeni, & Hippocratis: & ratio eſt, quoniam ſimilitudo in actu conſideratur non in ipſa potentia, & alimentum per actum nutritionis dici debet alimentum non per potentiam: conſideratur itaque primò conuerſio alimenti remoti in chylum & ſanguinem, mox præparati ſanguinis appoſitio, deinde agglutinatio, poſtremò aſſimilatio, & in eo actu aſſimilationis dicitur nutrire, & alimentum poſtremum eſſe dicitur id quod conuerſum eſt. Et ſi quis inſtet,

quia

quia tunc uidetur iam eſſe pars non alimentum, ad hoc non reſpondendum eſt aſſerendo id eſſe alimentum reſpectu partium, quæ effluxerunt, eſſe autem partem remanentis: hæc enim ſententia uera non eſt, quia alimentum eſt ad aliquid, & dicitur alimentum rei quæ alitur, ut rectè dixit Alexander, res quæ alitur non eſt ea quæ effluxit, ſed quæ remanet; immo vt id quod creſcit debet manere idem ante & poſt, ita id quod alitur. Propterea dico quòd quamuis alimentum vt eadem forma formatum, dicatur pars tamen vt denuo conuerſum & præcedenti additum, propriè eius alimentum nuncupatur. Ad Ariſtotolem, qui ſçpe ſanguinem nuncupat alimentum vltimum, reſpondeo ſanguinem eſſe alimentum vltimum, loquendo de alimento proximè nutrituro, non autem actu nutriente: & dicitur alimentum vltimũ, quia ut nutriat, in alios intermedios humores uerti nõ debet, vt debent verti cibi dum primò recipiũtur.

Inſtantia.

Reſponſio

Solutio fundamentorũ Themiſtij.

De reliquis conditionibus Alimenti.

Cap. III.

ALTERA alimenti cõditio erat, vt eſſet natum à calore uiuentis in ſubſtantiam eius permutari: ratio huius eſt conſpicua, niſi enim poſſet permutari, non poſſet nutrire. Hinc excluduntur medicamenta & venena, quę cum nequeant cõcoqui, ſed potius dominentur & vincant, non valent in ſubſtantiam uiuẽtis cõuerti: excluduntur etiam metalla, quę cum à calore humido nõ liqueſcant nec ſuperentur, nutrire nõ ualent, vt rectè docuit Ariſtoteles in prima part. Problem. 42. quod autem de ſtrutio aiũt quia videtur deglutire ferrũ coq; nutriri, commentũ eſt: oblectatur id animal ferro, &

Secunda alimenti conditio.

Medicamenta & uenena nõ dicuntur alimenta.

Metalla nõ ſunt alimentum.

Tertia cõditio alimenti. nonnunquam deglutit illud, at cum excrementis id ipſum eiicit ſine permutatione ſubſtantiæ. Tertia conditio erat, vt alimẽtum deberet eſſe mole præditum, vt valeat augere: ratio eſt, quia accretio eſt vna ex præcipuis operibus animæ nutrientis. Hinc excluduntur nedum colores & ſapores, verùm etiam odores & nonnulla corpora, quæ in halitus diſſoluuntur. At de odoribus non ſpernenda quæſtio eſt an nutriant, quoniam nonnulla venena ſolo odore interficiunt, medicamenta nonnunquam per ſolum odorem mouent corpora, morbi per odorem fiunt contagioſi, hæc non euenirent niſi odor eſſet natus nutrire & in ſubſtantiam animalium verti. Propterea Galenus 2. aphor. partic. 11. ait. odores citisſimè reficere, & 3. methodi ait curari ſincopem ijs, qui ſpiritus nutriunt, ſuauibus odoribus. Conciliator putauit odore ſolos ſpiritus nutriri. Manardus lib. 18. Epiſt. 6. ne dum ſpiritus, verùm etiam ſolida corpora nutriri cenſuit, motus exemplo Democriti, qui centeſimum nonum agens annum ſolo odore panis, vel vt alij inquiunt, mellis triduo vitam produxit. Eiuſdem opinionis etiam fuere Pythagorei. His aduerſatur Ariſtoteles in libro de ſenſu & ſenſili, quoniam alimentum debet eſſe ſubſtantia, debet habere excrementa, debet tendere ad ventriculum, verti in chylum & ſanguinem. Hæc non conueniunt odori, cum non per os ad ventriculum, ſed per nares ad pulmones tendat, cum non incraſſetur, nec valeat in chylum & ſanguinem verti. Soluendo itaque dicamus, vel nomine odoris intelligimus ſolam qualitatem, & de hac non eſt dubitatio, quòd non nutriat, non enim accidens vertitur in ſubſtantiam; vel intelligimus corpus odore pręditum: & hoc eſt duplex, vel craſſum quod per os recipitur, de hoc quoque non eſt dubitatio, nam proculdubio nutrit; vel intelligimus corpus id aereum, quod eſt veluti

Odor, calor, & ſapor nõ ſũt alimenta.

An odor nutriat.

Galeni et aliorum opinio.

Ariſtotelis opinio.

Solutio difficultatis.

vapor

vapor & halitus ex corpore craſſo reſolutus ad nares tendens:de hoc ſolo eſt dubitatio. De quo etiam loquendo aſſerendum eſt, nutritionem dupliciter accipi; vel proprie, quæ fit cum conuerſione in chylum & ſanguinem aut in aliud ſimile;vel pro quadam refocillatione & alteratione ſpirituum : & tunc dicendum odores propriè non nutrire, ſed ſolùm minus propriè, alterando, excitando, recreando, vt innumera exempla nobis manifeſtant;ſic venena ſæpe odore necant, & morbi ſunt contagioſi alterando ſpiritus:in hoc ſenſu verum eſt odores citiſsimè reficere alterando, ut etiam acetum roſaceum pulſuum, & narium madefactione nobis prodeſt:Hoc rectè nouit Ariſtot. ideo in libro de ſenſu & ſenſili inquit, quòd odores ad ualetudinem conferant manifeſtum eſt,& patet ex dictis. Ad inſtantiam ſumptam ex Democrito,quam tanti fecit Manardus, ut ſit mirum quòd uir ſapiens, tam leui & fortè fabuloſa relatione motus aſſeruerit odorem etiam ſolida corpora nutrire: ad hoc inquam reſpondens conceſſo quòd res ita ſe habuerit, de cuius ueritate nil certi conſtat; dico ſenem illum fuiſſe repletum humorum multitudine, ſpiritus autem eo odore refocillati redditi potentiores ualuerunt magis concoquere humores illos, & in alimentum ultimum commutare,nam ſenes potius moriuntur ob imbecillitatem caloris quàm ob inopiam alimenti.Poſtrema conditio alimenti erat, ut ad id quod nutritur ſe habeat perinde ac materia ad formam: ſic inferiora elementa modo quodam dicuntur alimentum ignis, quæ poſtrema conditio eſt conſpicua ex dictis,& uirtute continetur in eis, interit enim alimentum & recipit formam rei quæ nutritur.

Quomodo alimentum reddatur ſimile. Cap. IIII.

QVONIAM alimentum ex contrario debet reddi ſimile, iurè conſiderandum occurrit, per quid, & quo pacto ſimile reddatur: conſpicuum eſt alimentum ſimile reddi per coctionem, quæ eſt perfectio à naturali & proprio calore ex oppoſitis paſſiuis: quot verò ſint coctionis gradus, non ita conſtat. Nonnulli aſſerunt eſſe quinque, primam inquiunt fieri in ore, ſecundam in ventriculo, tertiam in epate, quartam in venis, poſtremam in extremitatibus venarum, dum fit appoſitio & agglutinatio. Auicenna in prima primi, quatuor enumerat, dimittendo eam quę in ore. Galen. in lib. de ſuccorum bonitate & vitio c. 5. tres eſſe aſſerit, in vnam redigendo eam quæ in epate & in uenis fit. Nonnulli ex ſententia Ariſtotelis duas eſſe affirmant, primam in ventriculo, poſtremam in corde, cor enim dicitur finem apponere concoctioni alimenti in li. de iuuentute & ſenectute. Non deſunt, qui vnicam ſtatuant, quoniam finis & terminus vnicus eſt. Vt rem hãc paucis perſtringam lucidamq; reddam, Aſſerendum cenſeo coctionem eſſe duplicem, vnam factam ante alimenti aſſumptionem, alteram poſt aſſumptionem eius, vt nouit Gale. in lib. de ſuccorum bonitate & vitio: loquendo de ea, quæ in nobis fit poſt aſſumptionem alimenti, quæ magis ad rem facit, aſſero primò eam quæ fit in ore non propriè iudicandam eſſe coctionem, quoniam non mutatur forma alimenti, neq; excrementa ſecernuntur. Quòd ſi Ariſtot. in libro de iuuentute & ſenectute inquit vnam operationem in alimento eſſe, quam oris virtus exercet; reſpondendum eſt cum ipſomet Ariſtotele in 2. de partibus

[Marginal notes: Quot ſint gradus coctionis. — Aliorum opinio. — Auicennæ opinio. — Galeni opinio. — Aliorum opinio. — Aliorum opinio. — Opinio ꝓpria.]

tibus Animalium capitu. 3. vbi ſe declarans inquit, eam non coctionem eſſe ſed diſpoſitionem, quia per eam inciſionem alimentum redditur coctu facilius. Hinc falluntur qui Ariſtotelem carpunt, quia putarit eam eſſe coctionem. Exploſa itaque ea, quæ dicitur fieri in ore; Prima coctio ſtatui debet illa, quæ fit in ventriculo: eius terminus eſt forma chyli, excrementa verò craſſiores feces. Secunda coctio ex medicorum ſententia fit in epate, at ex ſententia Ariſtotel. in epate diſponitur cibus ad coctionem in corde eius coctio perficitur: & ſi perficitur extra cor, id contingit per virtutem à corde infuſam; terminus eſt forma ſanguinis, excrementa vtraque bilis, & vrina. Tertia ab Auicenna ponitur in venis: Hanc Galenus non ponit diſtinctam ab ea epatis, vt Ariſt. eam epatis non diſtinguit ab ea cordis, & iurè quidem: nam gradus coctionum numerantur per fines, in venis forma alimenti & finis non variatur, ſolùm alteratur & diſponitur; ideo tertiam coctionem in membris fieri putandum eſt, de qua rectè dixit Galenus 8. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, coctionem uocari alterationem, quouſque in ſimilitudinem partis quæ nutritur tranſmutatur; vbi verò parti apponitur, nutritio dicitur: finis itaque huius poſtremæ coctionis eſt aſſimilatio, excrementa ſunt ſordes, ſudores, euaporationes, pili. Quòd ſi Ariſtoteles in libro de iuuentute & ſenectute ait cor finem apponere coctioni vltimi alimenti, dicendum eſt concoctionem eſſe duplicem, communem vnam, alteram propriam ſingulorum membrorum, ut rectè nouit Auerroes 2. collect. capit. 9. Ariſtoteles id protulit de coctione alimenti communi: Si demum coctiones numerare uolumus & latè & propriè ſumptas, & ante & poſt alimenti aſſumptiones; ſic dicere debemus coctionem primam fieri à natura coquente

Nonnullorum error

Gradus coctionũ numerantur per fines.

Solutio fundamenti quartæ opinionis.

cibos,

cibos, ſecundam ab arte, tertiam in ore, quartam in ventriculo, quintam in epate, ſextam in corde, ſeptimam in venis, octauam in membris: quæ poſtrema concoctio totuplex eſt, quotuplices ſunt partes diſtinctæ animalium.

Opera Animæ Nutrientis. Cap. V.

Pro triplici munere anima alimento utitur.

APPARVIT alimentum eſſe illud, in quo tanquam in materia verſatur Anima nutriens: hac autem materia vtitur pro triplici munerum functione, nempe pro nutritione, accretione, & ſui ſimilis procreatione: primum eſt veluti initium, ſecundum vt medium, poſtremum vt finis; in quo ternario collocata eſt perfectio operationum animæ nutrientis: per nutritionem ſeruamur numero incolumes; & perficimns vitæ periodum nobis à natura deſignatam per accretionem perficimur: per generationem æternitatem, vt fieri licet, conſequimur. Nutritio pendet ex alimento vt ſubſtātia eſt, Accretio vt eſt quantum, Generatio vt eſt vtile, & redundans pro nutritione. Ex his tribus operibus quod eſt origine prius, eſt perfectione poſterius; quod verò eſt poſtremum origine, eſt perfectione & natura primum. Ideo iurè dictum eſt opus maximè conſentaneum naturæ uiuentium eſſe generare ſibi ſimile. Et quoniam hæc ſententia à multis in dubium vertitur, & variæ aduerſus eam afferuntur inſtantiæ: propterea, & prò eius explicatione, ac pro ſolutione omnium difficultatum accipiendum primò eſt, quòd per generare ſibi ſimile non denotatur omnium generatio, non enim ea datur intelligi, quæ elementis & inanimis conuenit, ſed ſola generatio uiuentium inſtrumento ſeminis abſoluta:

Opus naturæ conſentaneũ generare ſibi ſimile quomodo intelligatur.

hæc

hæc dicitur præſtantiſſima non quidem omnium operationum Animæ, dantur enim operationes eminentiores attinentes ad ſuperiores Animæ gradus, ſed præſtantiſſima eſt inter operationes Animæ nutrientis. Præſtantia eius patet primò ex fine, quia per ſimilis procreationem viuentia, vt eis licet, adipiſcuntur æternitatem & diuinitatem: nam Dei opus eſt æternitas. Inſuper patet ex perfectione eius cui conuenit, tunc enim vnumquodque perfectum eſt, cum ſibi ſimile valet procreare: conuenit enim generatio uiuentibus ætate & virtute perfectis, non mutilis, non ſponte genitis: Et cum ſit opus præſtantiſſimum, ideo maximè per naturam expetitur eſt enim poſtrema omnium operationũ pendentium à forma per naturam & ſine cognitione operante: & cum maximè à natura expetatur, propterea vt ad hanc muneris functionem animalia magis eſſent procliuia, cum ea fuit complicata vehementiſſima omnium uoluptatum, uoluptas enim eſca eſt uehementiſſimè animalia alliciens, quarum maxima eſt voluptas venerea, quę adeo eſt potens, ut frequenter in vſu venereo, neglecto uero fine, eam nobis pro fine ſtatuamus. Colligens itaque aſſero, generare inſtrumento ſeminis ſibi ſimile inter opera Animæ nutrientis eſt opus poſtremum, præſtantiſſimum, & propterea ſummopere Naturæ conſentaneum, maximeque à natura exoptatum; ad quod interna naturæ commotione cum uehementi voluptate maximè Animalia ſunt procliuia quod expreſſit Virgilius inquiens.

Omne adeò genus in Terris hominumq; ferarumq;,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; uolucres
In furias, ignemq; ruunt, Amor omnibus idem.

Aſſerui etiam accretionem præferendam eſſe nutritioni,

tioni, quod in parte uerum in parte falſum eſt: ſi enim conſideratur accretio abſolutè ex parte quantitatis, & nutritio ratione ſubſtantiæ, proculdubio accretio nutritioni cedit: at ſi conſideratur quatenus ultra ſubſtantiæ adeptionem accretio ſuperaddit quantitatem, perfectionem acceſſionem ad poſtremum finem, nec poteſt niſi à validiore uirtute prouenire; ſic præſtantior eſſe dicitur, cum poſterius generatione, finiq; proximius dicatur eſſe natura prius.

Quomodo nutriamur, quouſque viuimus. Cap. VI.

SENTENTIA fuit Ariſtotelis in primo de ortu & interitu, nec non in 2. de Anima 18. uiuentia eouſque uiuere quouſque ualent recipere alimentum: quæ ſententia dubia uidetur, nedum ob Animalia nonnulla, quæ per multos menſes alimentum non recipiunt, uerùm inſuper quia datur ægritudinis genus, per quod homines cibum aſpernantur, ab eoque ſummopere abhorrent, ideo ἀτροφία ſiue priuatio nutritionis nuncupatur. Præterea animal prius deſinit nutriri quàm moriatur, nec enim calor tunc adeò potens eſt, ut poſſit aliud vertere in ſubſtantiam partium uiuentium, quare prius deſinit poſſe aliud mutare quàm deſinat eſſe. Ad hanc difficultatem nonnulli reſpondendo inquiunt nutritionem dupliciter accipi, & pro conuerſione alimenti in ſubſtantiam uiuentis, & pro ſola alimenti alteratione: ſemper nutriri affirmant nutritione ſecundo modo, at non primo modo ſumpta.

Inſtantia.

Aliorum reſponſio.

Hæc ſolutio uera non eſt, quoniam ad quid confert ea alimenti alteratio ipſi uiuenti, niſi ex ea modo aliquo reficiatur? propterea enim ſemper dicitur debere nutriri, quoniam ſemper debet aliquid refici & reſtaurari.

Opinio hæc reijcitur.

L

Præterea

Præterea qui hoc dicunt,non percipiunt rationem eius ſententiæ Ariſtotelis nec fundamentum neceſſitatis nutritionis, quod explicatur ab Ariſt. in libro de longitudine & breuitate vitæ,& in libro de iuuentute & ſenectu te,nec non à Platone in Timeo:neceſſitas enim continuę nutritionis pendet ex calore eo,qui infuſus nuncupatur, quo ſola viuentia ſunt prædita: qui calor eſt flammæ inſtat,quæ nedum aliud conſumit, verùm ea quoque continenter fluit,&niſi reficiatur euaneſcit:Cum itaque ille calor ſit tenuis,igneus,ſimilis flammæ lucernæ,vt inquit Ariſtoteles, continenter refici debet, alioquin extinguitur. Ideo ſoluendo difficultatem dico, nutritionem ad duo poſſe referri, vel ad alimenti in ſubſtantiam ſolidæ partis conuerſionem, & hanc aſſero non ſemper viuenti bus conuenire, neque neceſſariam penitus eſſe;vel ad caloris viuentium reſtaurationem, & hanc cenſeo eſſe neceſſariam,& ſemper conuenire viuentibus. Hæc ſolutio colligitur ex Ariſtotele in libro de iuuentute & ſenectute, dum inquit, alimentum non ſumentia animalia, & Plantæ intereunt;conſumit enim ipſumſeipſum,vt mul ta flamma minorem,ſic naturale calidum materiam:patet itaque Ariſt. retuliſſe neceſsitatem nutritionis ad calorem,qui ſimilis dicitur flammæ lucernæ. Ex his colligitur, quomodo nutriamur quouſque uiuimus, & quomodo ſolui debeant inſtantiæ;-Nam animalia, quamuis per multos menſes non recipiant externum alimentum,attamen habent alimentum internum. In ægritudine,quæ eſt aſpernatio alimenti,& propè mortem,quam uis non adſit ſemper conuerſio alimenti in partes ſolidas,ſemper tamen calor ille uitalis reficitur: & ea aſpernatio alimenti eſt deprauatio, non exacta priuatio nutritionis.

Opinio propria.

Quomodo nutriantur Plantæ. *Cap. VII.*

Plotini opinio.

DE VITA Plantarum varię apud Philoſophos extitere ſententiæ: præcipue autem ſunt tres duæ extremæ, vna media. Plotinus Enneade quarta, & alij eiuſdem claſsis putarunt Plantas propria anima & vita eſſe deſtitutas, ſolùm autem viuere & nutriri per animam terræ, Plutonis & Proſerpinę, quaſi maris & fęminæ nomine denotatam, ratione diuerſarum facultatum eius. Confirmant hanc ſententiam, quia perinde ad terram ſe habere plantas affirmant, ac ad animalium corpus ſe habeant pili, & vngues; quæ quamuis creſcere & nutriri videantur, attamen id ſolùm habent munere animæ animalis, cuius ſunt excrementa non partes. Hinc euenire aſſerunt, quòd ſemina, lapides, & plantæ iunctæ terræ nutriuntur & creſcunt, euulſæ, deſinunt viuere & nutriri. Hinc Stoici Plantas nec animatas nec animalia affirmabant, referente Themiſtio. Hanc opinionem à vero eſſe alienam putandum eſt: primò fundamentum fallax eſt, non enim Terra cæteraq; elementa viuunt, cum in eis vitæ opera non appareant; & valde alienum eſt à ratione putare Terram eſſe animatam, Plantas verò eſſe excrementa, cùm terra non alatur nec creſcat, ſemen viuentium more non emittat, non ſit inſtrumentaria, quæ omnia conuenire plantis conſpicuum eſt. Præterea ſi plantæ pilorum inſtar ſe haberent ad terram, per ſolam Terram alerentur, nec egerent alimento alieno; ſine ſemine emitterentur à Terra, non autem virtute ſeminis: at Plantæ egent inſperſione aquæ, egent proprijs ſeminibus, non itaque ſunt excrementa

Opinio Plotini reijcitur.

terræ.

terræ. Demum ſi ſolùm viuerent per uitam terræ, non eſſent inter ſe diſtinctæ ſpecie, ſed ſolùm per accidentia nam eadem omnium eſſet vita. Inſuper ſeorſum à terra non viuerent, non in eis appareret diſtinctio maris & fœminæ, nec ſemen emitterent: at conſpicimus verè diſtingui ſpecie, conſpicimus Plantas nonnullas euulſas à terra diu viuere in aqua, ſemenque emittere, & in nonnullis apparere diſtinctionem maris & fœminæ: non itaque viuunt per animam terræ. Quòd ſi euulſæ à terra vt plurimum deſinunt viuere, iunctæ terræ obeunt munera uitæ; id euenit, quoniam ex terra congruens alimentum recipiunt, non tamen à terra ſola, ſed ab ea cum alijs permixta.

Alia de Plantis opinio. *Cap. VIII.*

EXISTIMARVNT Pythagorici Plantas, nedum anima nutriente, verùm etiam ſentiente eſſe præditas; ideo ex eorum ſententia dixit Plato in Timæo Plantas modo quodam animalia eſſe, & ſenſum obtuſum habere. Auerroes verò com. xv. ſecundi de anima affirmauit quoſdam exiſtimaſſe Plantas vigilare & dormire. Anaxagoras demum, & Democritus putarunt eas voluptate doloreque affici, nec ſentiendi ſolùm, ſed & cogitandi & intelligendi vim habere. Id confirmant, quia amicitia & odium apparent in Plantis; Vlmus eſt amica viti, cui inimica ſunt olera; cucumis odit oleum: amicitia & lis non ſunt ſine cognitione, ſunt itaque plantæ cognitione præditæ: propterea conſpicimus plantam vnam ad aliam accedere, deſerere terram aridam, ad humidiorem declinare. Hæc ſententia & veritati & methodo eius perquirendæ omnino eſt aduerſa; Hæc ſententia confutatur. Prima ratio.

 cogno-

cognoſcimus principia per eorum opera, at niſi ſomniemus, nec ſomnum in Plantis conſpicimus nec ſentiendi Secunda. ueſtigia. Accedit quòd Natura facultatibus largitur inſtrumenta, in Plantis nullius cognitionis inſtrumenta Tertia. inueniuntur. Præterea ſi id eſſet, mundus tunc ſua eſſet perfectione deſtitutus, uniuerſum non eſſet uniuerſum, non enim in eo ſinguli uiuentium gradus inuenirentur. Aſſerere, ut aiunt nonnulli, competere Plantis ſenſum pro receptione ſenſibilium, non pro iudicio, eſt idem ac aſſerere Plantis ſenſum non conuenire: ſenſus enim in iudicio, non in ſola receptione eſt collocatus. Accedit etiam, quòd ſecus in non ſentiente recipiuntur ſenſibilia, ac recipiantur in ſentiente, ut in 2. de Anima contextu 127. docuit Philoſophus. Fundamenta huius opinionis leuia ſunt, ſolùm indicant Plantis conuenire litem & amicitiam à natura & temperamento pendentem, non à cognitione: pariter ea propenſio ad id quod eis utile & accommodatum eſt, à natura & naturalibus facultatibus oritur. Quare Peripateticorum opinio. cum Peripateticis ſentiendum cenſeo, Plantas per propriam animam uiuere, easque eſſe præditas ſola anima nutriente, cognitionis autem eſſe omnino expertes.

De fame & ſiti. Cap. IX.

Duplex cauſa famis, & ſitis.

QVONIAM nutrientes Animæ & appetitionis alimenti magnus eſt nexus, propterea de fame & ſiti, breuiſſimè tamen, agendum eſt. Fames & ſitis uel oriuntur ex ægritudine aliqua & ex praua affectione, uel ex affectione ſecundum naturā. Prima ad nos non pertinet, de altera eſt

ra eſt agẽdum. Galenus primo de ſymptomatum cauſis capit. 7. quinque dinumerat ad appetitum cibi pertinentia: primò enim conſideratur reſolutio ac inanitio partium corporis; ex qua ſecundò conſurgit indigentia & naturalis appetitus cognitionis expers; tertiò inde oritur ſuctus, per quem partes trahunt humorem à venis, hæ ab epate, epar per venas meſaraicas à ventriculo; quartò in ventriculo oritur ſenſus ſuctus; poſtremò conſurgit appetitus cibi cum cognitione, qui fames vel ſitis nuncupatur. In cognitionis expertibus tres primi ſoli gradus reperiuntur, in animalibus munere ſenſus inueniuntur etiam poſtremi. Quid itaque erit fames vel ſitis? Plato quarto de Republica eam definiens inquit, Fames eſt appetitus alimenti, ſitis eſt appetitus potus. At nimium confuſè definit, conſtat nos in fame & ſiti appetere cibum & potum, ſed non conſtat qua ratione expetantur: ideo ea præſertim explicanda eſt. Galenus in primo de ſymptomatum cauſis dixit eſſe ſenſum ſuctus & penuriæ, ſed dubia eſt ea definitio, primò ratione generis, ſecundò ratione differentiæ: ratione generis, quia pro genere rectius ſumitur appetitus, ut fecerunt Plato & Ariſtot. quàm ſenſus; nam fames non eſt ſenſus, ſed appetitus ex ſenſu conſurgens: quòd ſi ſenſum accipit tanquam cauſam, vt inde appareat differentia inter naturalem appetitum, & eum qui pendet à cognitione, vt reuera ſumpſit Galenus, qui etiam famem appetitum appellat: hoc parum refert, quia non conſideratnr modò an rectè ſenſerit Galenus, ſed num rectius pro genere accipiatur appetitus vel ſenſus. Pariter dubia eſt ea definitio ratione differentiæ, quoniam ſuctus eſt attractio & motus quidam, motus non percipitur niſi per ſenſibile proprium, ideo rectius per ſenſibile pro-

Platonis definitio de fame & ſiti.

Galeni definitio.

proprium definitur. Accedit quòd non omnis perceptio ſuctus & attractionis eſt fames: ſugunt etiam ſanguiſugæ & alia multa, quorum ſuctus ſenſu perceptus non eſt fames. Ideo oportet, ut ille ſuctus per aliquod proprium explicetur. Ariſtoteles dixit famem eſſe appetitum calidi & ſicci, ſitim uerò appetitum frigidi & humidi: quæ deſcriptio & ex parte generis & ex parte differentiarum rectior eſt; nam ponitur genus proximum, & adduntur differentiæ rectius conditionem alimenti circumſcribentes, & magis propriè appetitum excitantes. Et quamuis nomen appetitionis etiam de naturali ſine cognitione dicatur, id nihil refert, quoniam abſolutè & propriè de ea ſola dicitur quæ cognitionem inſequitur. Quòd ſi etiam appetitio latè ſumatur, dico quòd fames quoque & ſitis ſumuntur latè pro fame naturali conueniente plantis: propterea appetitus fami & ſiti conuenientiſſime reſpondet.

Ariſtotelis definitio probatur.

Explicatio definitionum famis & ſitis. *Cap. X.*

DEFINITIONES appetitionum cibi ab Ariſt. traditæ varijs ſunt difficultatibus inuolutæ: nil enim per ea definiri debet, quæ ex euentu ei competunt; at dicebat Plato in 4. de Republica, quòd expetamus magnum uel paruum, calidum vel frigidum cibum, ex euentu eſt, & ex noſtra diſpoſitione, ex natura autem rei ſolùm dicimur expetere alimentum. Confirmatur dubitatio, quia alimentum eatenus per ſe expetitur quatenus nutrit, at nutrit vt ſubſtantia eſt, non ut calidum vel frigidum, non enim accidentia nutrire valent. Præterea idem

Dubitatio prima.

Dubitatio ſecunda.

ſimul

ſimul contraria non expetit, idem tamen ſimul poteſt eſurire & ſitire, non itaque fames calidi & ſicci, ſitis frigidi & humidi appetitiones ſunt. Demum dubia videtur Ariſtotelis ſententia, quoniam puer ſtatim ortus alimentum appetit, & in vtero quoque eſurire dicitur, & commouetur, dum nutrimento ob matris ieiunium caret; & proculdubio non cognoſcit calidum uel frigidum, nec quærit ſub ratione calidi uel frigidi. Hæ & ſimiles difficultates obſcuram reddunt ſententiam Ariſtotelis. Pro quarum explicatione accipiendum primò eſt, ad famem & ſitim conſtituendas duas conſpirare appetitiones, naturalem unam ſine cognitione & antecedentem, alteram ſequentem & cum cognitione, ut iam patuit. Inſuſuper ea alimenti appetitio præſertim eſt affectio oris uentriculi, nam ea pars exquiſitiſſimo ſenſu prædita eſt: properea dum ſola oris ariditate ſitimus ſine conſenſu cum ore ventriculi, ea propriè ſitis non eſt, dici tamen poteſt affectio totius corporis mediante ore uentriculi. Appetitus alimenti proculdubio ratione finis eſt appetitus ſubſtantiæ natæ conuerti in ſubſtantiam appetentis, at ratione medij per quod mouet, & percipitur læſio, eſt appetitus calidi, frigidi, &cæt. & dicendo calidi, ſimul denotamus & ſubſtantiam, & id per quod percipitur læſio & indigentia. Dum alimentum expetimus ob uariam noſtri corporis, & præſertim uentriculi diſpoſitionem, modò abſolutè quoddam contemperatum alimentum expetimus; & tunc ſimul dicimur eſurire & ſitire, quatenus ex cibo & potu huiuſmodi contemperatum alimentum conſurgit: modò uerò ob nimiam ariditatem oris uentriculi ſolùm dicimur ſitire; uel cum adeſt ſola humoris copia ſine ſoliditate dicimur ſolùm eſurire, quia percipitur læſio ex uno

Dubitatio tertia.

Dubitatio quarta.

Sententiæ Ariſtotelis explicatio.

Duę appetitiones concurrere pro fame & ſiti conſtituenda.

contrario conſurgens. Expetentes itaque alimentum expetimus ſubſtantiam magis vel minus humidam ſiue aridam, calidam ſiue frigidam, & ex imperio eius quod expetitur modò fames modò ſitis ille appetitus nuncupatur. Et dum dicitur expetere humidum, vel calidum, ſi ad finem nutritionis reſpicimus propriè denotamus id quod eſt tale facultate: ſi verò conſideramus actum ſentiendi, etiam denotamus, id quòd eſt tale actu. Ex his conſtat, vnde eueniat quòd ſæpe idem alimentum & fami & ſiti ſatisfacit, vt vinum, ius, & ſimilia. Colligens itaque aſſero appetitum alimenti eſſe appetitum ſubſtantiæ vel ſolidioris vel humidioris ex triſti ſenſu in ore ventriculi, ex morſu & euulſione cum ſuctu facta, qui appetitus dum diuiditur in famem & ſitim, ille à principatu calidi & ſicci, hic frigidi & humidi eſſe dicitur.

Propria ſententia.

Ex his colliguntur difficultatum ſolutiones. Ad primam dico, ſi reſpicimus ea, quæ proximè ſenſum tactus mouent, & contemperatum alimentum circumſcribunt, fames & ſitis non ex euentu ſunt appetitus calidi, frigidi, & ſimilium. Similiter ſecundæ patet ſolutio, quia quamuis ratione finis alimentum vt ſubſtantia nutriat, attamen quia debet eſſe non ſubſtantia quæuis, ſed ſubſtantia talis ita contemperata, & ſenſui tactus reſpondens; ideo rectè fames dicitur appetitus ſicci, ſitis humidi. Ad tertium, dum dicitur quòd idem contraria non expetit, reſpondeo dum ſimul eſurimus, & ſitimus, expetimus ſubſtantiam in eo mediocritate temperatam, quæ nobis eſt conſentanea; & quoniam, in ea ſubſtantia calidum & frigidum, remiſſa tamen inueniuntur; ideo fames & ſitis, vt ad diſtincta referantur, inter ſe ratione diſtinguuntur, cum tamen id calidum & frigidum, quæ ſimul expetuntur, verè

Solutio primæ dubitationis.

Solutio ſecundæ.

Solutio tertiæ.

contraria non ſint: quod patet, quia per idem alimentum conuenienter contemperatum ſimul utriuſque nonnunquam ſatisfacimus. Ad poſtremam difficultatem de puero eſuriente, qui tamen alimentum ſub ratione calidi uel frigidi non apprehendit, reſpondeo, puer uel fœtus tunc dicitur eſurire dum ſenſu utitur, ante uſum ſenſus ſolùm ut Planta ſine perceptione indigentiæ nutritur. In vſu ſenſus primò confuſè incipit læſionem percipere, & confuſè mouetur, percipit læſionem à ſuctu cum qualitate alterante prodeuntem; ideò conferente ad hoc naturæ inſtinctu, oppoſitum eius ut medelam dicitur expeti. In qua prima confuſa cibi appetitione non apparet diſtinctio famis à ſiti, ſed ſolùm confuſè dicimus alimentum expetere, quod in cibum & potum non eſt diſtinctum. Ad difficultatem dum dicimus, non cognoſcit cibum, ergo non appetit, reſpondeo, cognoſcit primò confuſiſſimè per ſuum oppoſitum à quo læditur; & ideo nutrices, vt magis infantes nuper orti quærant nutrimentum, exprimunt primò lac in os infantis, vt diſtinctius cognoſcendo magis appetant: & quamuis non diſtinctè cognoſcant & appetant ſub ratione calidi, frigidi, &c. tamen id faciunt confuſè, & dicuntur ſub ratione talis expetere, quatenus per huiuſmodi qualitates excitatur ſenſus alimenti.

Quartę ſolutio.

N Qui

Qui nam ſit ſenſus alimenti.
Cap. XI.

SENTENTIA fuit Ariſtotelis in 2. de Anima tactum eſſe ſenſum alimenti, quoniam nutrimur calido, frigido, humido, & ſicco, quæ tactu percipiuntur; ideo tactus eſt ſenſus primus, & apprimè neceſſarius, nedum pro conſtitutione animalis, uerùm inſuper pro eius conſeruatione & nutritione. Verùm hæc ſententia difficultate non caret: primò enim experientiæ aduerſatur, quia dum uolumus alimentum congruens iudicare, non utimur tactu, ſed guſtatu; per tactum non ſecerneremus acetum à uino, & aliud quoduis conueniens alimentum à non conueniente: neque id factum conſideramus calidum uel frigidum, ſed ſapidum, dulce; quod enim ſapit, nutrit. Et confirmatur, quia ſi calidum & frigidum conſideramus, elementa quæreremus, & ex eis nutriremur, quod tamen non facimus; elementa enim ut ſapore carent, ita quoque nutrire non dicuntur. Præterea Ariſtoteles ſibi conſtare non uidetur, nam ſub initium de ſenſu & ſenſili inquit guſtatum debere in eſſe in omnibus propter cibum, & colligens ait ſaporem eſſe affectionem nutrientis facultatis. Clarius in progreſſu eiuſdem libri inquit, calidum & frigidum creſcere & decreſcere faciunt, nutrit uerò cibus ut guſtabilis eſt, omnia enim dulci aluntur uel ſimplici uel permixto. Inſuper non uidetur ſibi conſtare, quoniam in primo de ortu & interitu inquit alimentum ut ſubſtantiam nutrire, ut quantum augere. Vt quam breuiſſimè dubitatio ſoluatur, abſtinens à relatione uariarum opinionum; aſſero primò tactum eſſe ſen-

[Margin notes: Prima Dubitatio. — Dubitatio ſecunda. — Tertia Dubitatio. — Opinio propria. — Tactus eſt cibus alimenti.]

ſum

ſum alimenti, non quia neceſſariò conueniat omnibus quæ nutriuntur, non enim conuenit Plantis; ſed omnibus conuenit cibum appetentibus & ſecernentibus vel confusè uel diſtinctè conueniens à non conueniente. Propterea tactus non eſt abſolutè neceſſarius pro nutritione, ſed eſt neceſſarius viuentibus certo modo nutriendis. Nutritio ex parte finis eſt ex ipſa ſubſtantia, at excitationis appetitus & circumſcriptionis conuenientis ſubſtantiæ eſt calidi, frigidi, & cæt. Si inuicem conferantur guſtatus & tactus, primò cum Ariſtot. dicendum eſt quòd guſtatus eſt quidam tactus; ideo dum aſſerimus tactum eſſe ſenſum alimenti, etiam guſtatum includimus: quòd ſi conſideratur guſtatus vt à tactu ſeiunctus, dicendum eſt nutritionem eſſe ex calido & frigido, tanquam ex primò & proximè conſtituentibus alimentum; ex dulci verò & ſapido tanquam ex poſteriore pendente à temperamento, & conueniens temperamentum indicante: quod tamen, cum ſit abſolutè poſterius, nobis, dum nutriri volumus, primò occurrit. Ex his colliguntur ſolutiones. Ad primam difficultatem, quia in diſtinctione alimenti guſtatu vtimur, dico, guſtatus eſt quidam tactus; & per ſaporem vt nobis proximiorem ducimur in notitiam congruentis temperamenti. Dum additur, quia ſic elementa pro cibo eligeremus; hoc non ſequitur, quia tactus dicitur ſenſus alimenti, non quia omne quod tactu percipiatur nutriat, ſed è contra, quia omne quod nutrit nutrire dicitur, vt conuenienter contemperatum eſt per eas qualitates, quæ tactu percipiuntur. Ad Ariſtotelem qui ſecum pugnare videtur, ex dictis patet ſolutio, tum quia guſtatus dicitur quidam tactus, tum inſuper quia vario modo vterque ſenſus conducit, vt declaraui. Et dum inquit quòd calidum &

Tactus nõ eſt neceſſarius ꝓ nutritione.

Solutio primæ Dubitationis.

Solutio ſecundæ.

Solutio tertiæ.

 frigidum,

frigidum creſcere faciunt &c. Reſpondeo, calidum non abſolutè vt calidum nutrit, ſed vt conuenienter contemperatum, quæ conueniens contemperatio proximè per ſaporem manifeſtatur. Addo præſertim verum eſſe ſententiam Philoſophi, facta inter qualitates comparatione: nam alimentum obtinet locum materiæ, materia præſertim per humidum & ſiccum denotatur, in quibus ſapor maximè viget; calor & frigus ſunt qualitates, quæ præſertim efficere dicuntur, ideo facta inter qualitates comparatione his munus efficiendi, illis verò patiendi tribuitur, cum tamen omnes modo aliquo & efficiant & patiantur.

De inſtrumentis Animæ nutrientis. *Cap. XII.*

ANIMA nutriens, quoniam infimaeſt partium animæ, maximeque cum corpore complicata, propterea plurimis eget inſtrumentis pro ſuo munere obeundo: quorum nonnulla magis ad corpus pertinent, alia ad vires animæ, datur & tertium, quod ratione aliqua commune & medium cenſeri poteſt: Inſtrumentum medium apprimè commune eſt calor ſiue ſpiritus, per quem anima cum craſſo corpore arcto nexu colligatur; quod inſtrumētum quamuis inſeruiat etiam alijs animæ gradibus, præſertim tamen famulari dicitur animæ nutrienti ratione coctionis alimenti, quæ ad eam pertinet; cuius communis inſtrumenti fons & origo cor eſt, vel id quod cordi proportione reſpondet. Inſtrumenta magis ad corpus pertinentia, ſunt dentes, gula, ventriculus, & ſimilia. Inſtru-

Modū inſtrumentū nutrientis

Extrema inſtrumenta nutrientis.

Opinio aliquorum.

menta

menta demum, quæ magis attinent ad vires animæ, ſunt facultas trahens, retinens, & ſimiles: de quarum numero lis eſt. Plurimi affirmant eas eſſe quatuor, trahentem, retinentem, aſſimilantem; ad quam redigitur concoquens, & expellentem. Auerroes cum Albumaſare quintam cenſet ſuperaddendam nempè; ſecernentem conueniens à non conueniente, ſæpe enim trahentes facultas multa trahit, ſed inſimul cum vtilia tum inutilia; pariter vis expellens multa reijcit at nedum inutilia, verum etiam vtilia: propterea eſt neceſſaria facultas alia ab his diſtincta, quæ vtile alimentum ab inutili valeat ſecernere. Quam difficultatem breuibus abſoluens, aſſero primò has minus propriè nuncupari facultates inſeruientes animæ nutrienti: quoniam trahere alimentum, retinere, & cætera huiuſmodi ſunt antecedentes operationes Animæ nutrientis circa alimentum ordinatæ ad finem nutritionis, quæ Anima vna, eſt fungens his muneribus per varia inſtrumenta: attamen quia in his præuijs operationibus conſideratur aliqua diſtinctio, & operatio indicat facultatem, ideo ſtatuuntur facultates diſtinctæ & famulæ: quarum facultatum nonnullæ magis, aliæ minus diſtinctæ ſunt. Loquendo de facultate ſecernente ab Auerroe ſuperaddita, dico, vel addatur vel non addatur, nullus eſt error: nam ſi non additur, ad alias redigi putandum eſt, deprauata eſt enim vis trahens, ſi & vtilia & inutilia trahit pariter vis repellens; ideò recte trahendo, retinendo, & repellendo ſecernunt: tamen clarioris explicationis gratia expedit quintam illam ſuperaddere, & præſertim, quia ſecretio aliqua rationem tractionem, & expulſionem antecedit; neque fit per villos, per quos tractio vel expulſio perficitur. Ex his omnibus facultatibus præcipua cenſeri debet aſſimilatrix,

Auerrois opinio.

Opinio propria.

milatrix, cum ſit fini proximam, per eam enim alimentum vltimò paratur pro formæ receptione, in qua receptione conſideratur nutritio: in antecedentibus verò diſpoſitio ad nutritionem.

Finis Libri Quarti.

PETRI DVODI FRANCISCI D. MARCI PROCVRATORIS FILII

De Anima Liber Quintus.

De attinentibus ad inſtitutum & ordinem.

Cap. I.

MAGNVS eſt naturæ gradus, dum à vitæ expertibus aſcendit ad viuentia; at longè maior & admirabilior, dum à non cognoſcentibus ad cognoſcentia eleuatur: quid enim apud nos admirabilius cognitione & iudicio conſpicitur? eſt cognitio omnis vel diuinum aliquid vel ſaltem diuinitatis imago ac veſtigiũ clarius vel obſcurius, vt clarior vel obſcurior eſt cognitio. Miraretur equidem vnuſquiſque, ſi lapidem conſpiceret ex non vidente reddi uiuentem; at ſi vlterius intueretur eundem prodere oculos,

los, & audire, indicare, nedum miraretur, ſed ſupra omnem admirationem collocatus exclamaret, Deus Deus aliquis latet in ipſo: conſpicimus quotidie nos nedum hæc, verùm illuſtriora quoque opera, cum materiam nedum lapide immo cæteris omnibus humiliorem per hos gradus eleuari intuemur, & tamen ob aſſuetudinem non miramur, ob frequentiam huiuſmodi operum non commouemur. Cum itaque cognitio ſit res præclara, Iudicium ſit diuinitatis ſimulacrum, iurè ut per has vmbras in lucem, per hæc veſtigia in veram formam eleuemur, in facultatum cognoſcentium explicatione uerſari debemus. Cognoſcentium facultatum quædam uerſatur in uniuerſalibus; aliæ ſolum ſingularia iudicant: & ex his quædam externæ, quædam internæ nuncupantur. Nos ab eis ordiri debemus, quæ primò nobis occurrunt; huiuſmodi ſunt facultates, ſentientes & præſertim externæ: de quibus diſputaturi, à communibus ordiri tenemur, cõmunia enim iure optimo primò ſunt explicanda: cuius ordinis triplex ab Auerroe aſſignatur, ratio, tũ quia communiora ſunt notiora, tum quia primò eis competunt affectiones oſtendendæ, tum demum ne labamur in inanem repetitionem. At cenſeo ego duas alias non minoris momenti ex ipſo Ariſt. colligi poſſe rationes; quarum vna ea eſt, quæ colligitur ex 6. Topic. quia abſque communium notitia minus communia cognoſci non poſſunt: quare ob eandem rationem, ob quam de cauſis & principijs eſt primò agendum, etiam eſt primò diſſerendum de communioribus; ſunt enim communia veluti initia contentorum ſub eis. Altera ratio eſt, quoniam in ordine naturam ſectamur, & eam in ordine compoſitionis ſectamur, inſpiciendo originem non inſtitutum eius quo originis ordine communiora & ſimpliciora priora ſunt hoc aſſeruit Ariſtoteles in primo Phyſi-

Facultatũ cognoſcentium diuiſio.

Cur à communioribus incipiẽdum.

Auerrois opinio.

Propria opinio.

rum 57.inquiens:eſt enim ſecundum naturam, vt primò communia dicamus,mox de vnoquoque propria ſpeculemur, & idipſum frequenter alibi confirmauit. His itaque de cauſis primò uniuersè de ſenſibus diſſerendum eſt,in methodo autem & uia ordiri debemus ab obiecto nobis notiore,ut inde ad operationem progrediamur,ex quibus notitia facultatis conſurgit.

Diuiſio ſenſibilium, & declaratio ſenſibilis proprij. Cap. II.

QVAECVNQVE ſenſibus uſurpantur,uel per ſe cadunt ſub ſenſum,uel ex euentu:ſi per ſe cadunt, duplicia ſunt, uel ſunt communia uel propria: ſi ex euentu, pariter ſunt duplicia,uel non ſunt nata mouere ſenſum,ut ſubſtantiæ,relationes, & ſimilia,quæ toto ſuo genere ſenſibilia per accidens ſunt; uel nata quidem ſunt mouere ſenſum, at non eum à quo ex euentu ſentiri dicuntur,ſic ſenſibile propriũ unius ſenſus dicitur ex euẽtu,ſentiri ab altero, ut coloratũ ex euentu audiri dicitur; & hoc non eſt ex euentu abſolutè, ſed cum relatione ad ſenſum à quo non eſt natum per ſe ſentiri. Et quoniam abſolutè & uerè ſenſile eſt id, quod proprium eſt, per quod cætera cognoſcuntur; ideo de eo primo agendum eſt. Senſile dupliciter conſiderari poteſt, primò abſolutè, ut eſt qualitas aliqua ex ſuis initiis pendens,ſecundò ut ſenſu uſurpatur, & hoc ſecundo modo nunc conſiderandum proponitur. Senſile per ſe & proprium duo includit: primò ut ſit per ſe, ratione cuius debet eſſe natum ſua facultate mouere ſenſum: Secundò ut ſit proprium, ratione cuius debet eſſe natum ita mouere ſenſum unum, ut non alium; ueluti color ita mouet uiſum, ut

Senſibilis proprij diuiſio.

Conditiones proprij ſenſibilis.

vt non alium ſenſum. Ex his duabus conditionibus conſurgit tertia, quæ eſt, vt ſenſus non decipiatur circa proprium obiectum: quia enim ſenſibile huiuſmodi primò & per ſe determinato ſenſui reſpondet, ei per naturam æquatur, congruenteque proportione ei opponitur; iurè dum conferentia ad iudicium conuenienter, vt eorum natura expoſcit, ſeſe habent, in eorum ſenſibilium iudicio ſenſus non fallitur; cum in iudicio ſenſibilium communium magis decipiatur, maximè verò in iudicio ſenſibilium ex euentu. Et cum aſſero ſenſum magis decipi in communibus ſenſibilibus quàm in proprijs, id abſolutè eſſe verum exiſtimo, ſiue ea communia ad unum ſiue ad omnes ſenſus referantur. Propterea ab eorum ſententia recedendum cenſeo, qui inquiunt nos magis decipi ſentiendo communia, dum ea uno ſenſu iudicantur: at dum ea percipiuntur multorum ſenſuum conſpiratione & conſenſu, minus nos decipi, quàm ſentiendo propria. Quam ſententiam propterea non probo, quia ſi abſolutè dicitur ab Ariſtotele ſenſum non decipi in iudicio propriorum, quomodo aſſerere valemus ſeruando ſententiam eius, quòd magis decipiatur in eis quàm in communibus? Præterea firmius & minus fallax eſt iudicium vnum certum, exactum, & proprium, quàm multa leuia, & inconſtantia; vt firmior eſt ſcientia per vnam demonſtrationem acquiſita, quàm per multa ſigna: quare pariter certior eſt cognitio proprij ſenſibilis per vnum ſenſum, quàm ſenſibilis communis per plures. Verùm qui ſunt alterius opinionis, vtuntur auctoritate Ariſtotelis in 2. de anima 135. vbi inquit ſenſilia communia ſentiri pluribus ſenſibus, ut minus lateant. Idipſum confirmatur per ſcientias mathematicas, quæ propterea dicuntur certiſſimæ, quia verſantur in conſideratione communium

Reijcitur quorundã opinio circa deceptionem cõmunis ſenſibilis.

Fundamẽta huius opinionis.

nium

nium ſenſilium, quæ certiſſima ſunt. Sed hæc fundamenta facillimè euertuntur. Ad primum dico non ita debere intelligi ſententiam Ariſtotelis communia ſentiri pluribus ſenſibus, vt minus lateant quàm propria; ſed vt minus lateant, quàm ſi vnico perciperentur; ita enim in eis ſummopere erraremus. Ad aliud dico certitudinem mathematicam non prodire ex eo, quia communia exactius ſentiantur quàm propria, ſed prouenire ex re conſiderata & modo conſiderandi ſimul: verſatur enim in quantitate abiuncta à ſubſtantia, à materia, & latentibus principijs. Hinc oritur, quòd eadem res, puta motus, conſideratus conſideratione mathematica eſt certus, conſideratione Phyſica caret certitudine, non enim ea certitudo in ſenſuum iudicio collocata eſt. Fundamẽtorum ſolutio.

An ſenſus decipiantur in cognitione ſenſibilis proprij, opinio prima. Cap. III.

ASSERIT Philoſophus ſenſum in iudicio propriorum ſenſilium non decipi, quæ ſententia & experientiæ, & rationi, & auctoritati aduerſatur: Experientiæ; quia nos ipſi percipimus ſenſum frequenter decipi, & dulce à febricitante iudicari amarum, rubeum diſtans iudicari nigrum, & herbas nonnullis iumentis videri dulces, quæ homini amaræ eſſe videntur. Aduerſatur rationi, quoniam ſi intellectus cæteræque hominis eminentiores facultates decipiuntur, rationi eſt conſonum, vt etiam fallatur ſenſus. Demum auctoritati, nam Academici ſenſum nil veri percipere affirmant. De propoſita difficultate tres ſunt præcipuæ opiniones. Epicurus, Lucretius, & illi qui res in motu eſſe collocatas exiſtimarũt, affirmarunt ſenſum Prima Dubitatio. Secunda Dubitatio. Tertia Dubitatio. Epicureorũ opinio.

non decipi, & res tales eſſe quales ſenſu non eas iudicamus: cum enim putauerint res non habere eſſe certum & permanens, ſed in motu eſſe poſitas & ex motu conſurgere; ideo vnicuique res dixere eſſe tales, quales ex actione rei cognoſcendæ, & ex paſſione ſenſus conſurgunt. Ad quod probandum hoc vtebantur fundamento: quoniam res iudicamus vt mouent, mouent quæ ſunt, quæ ſunt vera ſunt, ergo quæ iudicamus vera ſunt. Propterea cecinit Lucretius ex ſententia Epicuri lib. 2.

Inuenies primis ab ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neque ſenſus poſſe refellt,
Nam maiore fide debet reperier illud,
Sponte ſua veris quod poſſit vincere falſum.
Quid maiore fide porrò quàm ſenſus haberi
Debet? &c.

Epicuri opinio refellitur.

Hæc opinio in parte eſt vera, abſolutè autem falſa eſt: nam ſenſum ad duo referre valemus, vel ad præcipuum obiectum extra Animam collocatum; ad quod præſertim iudicium refertur, & hac conſideratione ea ſententia falſa eſt: ſecundò poteſt referri ad eam ſpeciem, quæ proximè ex actione & paſſione conſurgit, per quam ſenſus proximè iudicat, & conſurgit ex omnibus ad illud iudicium conferentibus; & in hoc ſenſu vera eſt; nam ſenſus ita iudicat, vt proximè mouetur, ſed contingit vt ille motus nonnunquam præcipuo obiecto non reſpondeat, & propterea tunc ſenſus in iudicio eius proximi per quod iudicat non fallitur; at fallitur in iudicio eius, quod præſertim & propriè ſenſibile dicitur: ideo abſolutè ea opinio eſt falſa, quoniam verè ſenſilia ſunt quæ mouent ſenſum, ſi mouent, ergo non conſurgunt ex motu, neque in motu

ſunt poſita, non enim mouens ex motu conſurgit. Præterea iam in 8. phyſic. eorum eſt exploſa ſententia, qui cuncta in motu eſſe collocata exiſtimarunt. Neque magni momenti ſunt fundamenta eorum: dum enim inquiunt nos res iudicare vt mouent, dico nos res iudicare vt proximè mouent, verùm ille motus ob intermedia & alia conferentia ad iudicium poteſt nonnunquam non rectè reſpondere primo mouenti, & propterea fallimur in eius iudicio. Ad fundamentum ex Lucretio deſumptum concedo ſenſuum cognitionem eſſe certiſſimam, & eſſe initium noſtræ cognitionis: errare tamen nonnunquam ob eorum deprauationem, quæ ad actum ſentiendi concurrunt, & corrigi à ſenſu rectè diſpoſito, cum conuenienti eorum diſpoſitione, quæ ad iudicium requiruntur: vel ab intellectu iudicante deceptionem prodire ex eo quod requiſita non adſint pro recto iudicio. Solutio fundamentorum Epicuri.

An ſenſus decipiantur, opiniones aliæ.
Cap. IIII.

QVEMADMODVM Epicurus maximi fecit ſenſus, & iurè quidem, quia nil ſupra ſenſum excogitare valuit: Ita ex aduerſo Academici eos adeò vilipenderunt, vt nihil eorum eſſe exiſtimarint, quę ſenſibus vſurparentur; cum quibus Archeſilas affirmauit omnia eſſe falſa, quæ ad ſenſus pertinerent: & iurè quidem, nam ſenſus naturam rerum non valent attingere, ſed ſolum in imaginibus & externis veluti vmbris verſantur. Academicorum opinio. Quorum ſententia aliquid veri includit, abſolutè tamen approbanda non eſt; ea eatenus eſt vera, quatenus facta cōparatione inter abiūctas formas, Cōfutatio huius opinionis.

mas,& ea quæ ſub ſenſum cadunt, illæ ſunt formæ puræ,à potentia & priuatione materiæ ſeiunctæ: ſenſilia verò cum materia, cum potentia, cum eo quod non eſt, adeò ſunt complicata, vt potius non eſſe quàm eſſe dici poſſint. Abſolutè tamen ea opinio vera non eſt: quoniam etiam ſenſilibus in proprio gradu conuenit vt ſint, ideo in eis quoque conſideratur mutua reſponſio rei ſenſilis & iudicij ſenſuum, in qua reſponſione & æquatione veritas ſenſuum eſt collocata; non enim eorum veritas in compoſitione & diuiſione poſita eſt.

Peripateticorũ opinio. Propterea rectior eſt opinio Peripateticorum, quæ mediat inter duas iam dinumeratas: ſed quomodo debeat intelligi, non conſtat. Inquit Ariſt. ſenſum non decipi erga proprium ſenſile: Auerroes limitans ſententiam inquit, id eſſe verum vt plurimùm; at hoc non eſt ſatis, quia diſtinctè manifeſtandum eſt, quando decipiatur & quando non. *Auerrois ſententia non probatur.* Quidam inquiunt ſenſum ad duo referri poſſe, vel ad vniuerſum obiectum, vel ad ſpeciem obiecti: inquiunt non decipi erga primum, ſed erga ſecundum, vt auditus non decipitur quòd ſit ſonus, ſed an ſit grauis vel acutus. *Quorundam opinio reijcitur.* Quæ ſententia etiam approbanda non eſt: primò, quia ſic ſenſus non deciperetur etiam erga commune genus ſenſilium ex euentu, vel ſenſilium communium, vt ex ſe conſtat; præterea ſenſus ita dicitur errare, vt iudicat, at oculus cignum iudicat vt album, coruum vt nigrum, quare in eo dicitur rectus, ut hunc nigrum illum album iudicat, non autem vt ſolùm iudicat coloratum. Præterea laborantes & inſanientes putant nonnunquam ſe videre colores & audire ſonos, cum tamen nec colores nec ſoni adſint, ideo etiam in genere obiecti decipiuntur. *Alexãdri & Themiſtij ſententia. Laudatur non abſolutè.* Propterea Alexander in primo de Anima cap. 13. quem inſequitur Themiſtius, inquit, ſenſum non decipi, dum ſeruantur conditiones ad

rectam

rectam muneris ſentiendi functionem pertinentes: quæ conditiones multę ſunt ex dinumeratione Alexandri at tamen à Themiſtio in tres rediguntur; & Auerroes, cum dixerit ſententiam illam eſſe ueram ut plurimum, nil aliud denotare uoluit, niſi quòd eſt uera ſeruatis conditionibus ſeruandis. Hæc ſententia commendanda apprimè eſt, hoc unum in ea deſideratur, ut manifeſtet, quo modo ſi ſententia Ariſt. non eſt ſemper uera, Ariſto. uluit abſolutè dicere ſenſum non decipi: hoc itaque ſupereſt declarandum.

Diſſolutio difficultatis. Cap. V.

NOS docet Philoſophus in primo Phyſic. 74. ſermonem abſolutè prolatum debere intelligi per ſe; quæ ſententia cum in omnibus eſt uera, tum maximè dum traduntur regulę uel definitiones; nulla enim eſt regula, quæ ex euentu non reddatur falſa. Dum itaque Philoſophus in definitione proprij ſenſilis inquit, ſenſum in eo non decipi, id eſſe per ſe intelligendum conſpicuũ eſt. Addo inſuper, quòd quotieſcunque ab agente uel patiente aliquis error pendet ob deprauationem uel diminutionem concurrentium ad operis productionem, id ex euentu prouenire putandum eſt, non autem ex propria conditione & natura eorum principiorum: quare cum demptis impedimentis ſenſus non decipiatur, iurè rectè inquit Philoſophus abſolutè ſenſum non decipi; ueluti abſolutè aſſerit, cum in primo tum in ſecundo de cœlo, Naturam nil facere fruſtra, & ut contingit; quod tamen ſolum eſt uerum per ſe non ex euentu, ut patet de monſtris & alijs. Senſus itaque in cognitione propriorum non fallitur,

Propria opinio.

tur, ſed fallitur in cognitione ſenſilium per accidens & communium; quamuis omnia ad iudicium conducentia optimè ſe habeant. Et ſi quis ulterius quærat, quot nam ea ſint, quæ ad rectam iudicij conſtitutionem conducunt: aſſero ea numero poſſe eſſe multa, cuncta tamen ad tria redigi, quoniam tria ſunt quæ ad iudicium ſenſuum conferunt; ſenſile, medium, & inſtrumentum: hæc tria ut conuenienter ſeſe habeant, neceſſe eſt, & omne impedimentum ad unum horum trium redigitur, ut conſideranti redditur notum.

Tria quæ ad rectam iudicij conſtitutionē cōcurrūt.

Ex hactenus dictis quatuor colligimus: Primò conſideratione Academicorum poſſe modo aliquo ſenſus dici ſemper erroneos: Secundò poſſe dici ſemper rectos; & id contingere dupliciter, uel ut in bonum ſenſum redacta fuit ſecunda opinio, vel vt explicata nuper fuit opinio Ariſtotelis: Tertiò colligimus ſenſus nec veros nec erroneos eſſe, veritate attinente ad complexas enunciationes: Demum ſi ſententia accipiatur latè, & per ſe, & per accidens,, ſic cum Auerroe, Alexandro, & Themiſtio dicendum eſt eam eſſe veram, vt plurimum, ſiue ſeruatis ſeruandis. Ex his quoque patent ſolutiones inſtantiarum. Dicebatur ſententiam Ariſtotelis aduerſari experientiæ, reſpondeo, aduerſatur ex euentu ſolùm & ob deprauationes, non per ſe. Addebatur eandem herbā diuerſis videri ſapore variam; reſpondeo, dum guſtatus rectè ſe habent, videtur eiuſdem ſaporis, ſed ex varietate temperamenti & conſtitutionis animantium oritur, vt idem ſapor vni ſit gratus, alteri moleſtus. Dum dicebatur hoc aduerſari auctoritati, iam patuit quomodo aduerſetur, vel ne. Et quando addebatur, quòd aduerſatur rationi, quoniam ſi eminentiores facultates falluntur, etiam fallitur ſenſus. Ad hoc dico rationem non eſſe parem, non enim eorum obiecta tam conſpicuè, tam

Academicorum & aliorum opinio quomodo uera.

Peripateticorum opinio quomodo uera.

Solutio primæ dubitationis.

Solutio ſecundæ.

Solutio tertiæ.

aper-

apertè offeruntur alijs facultatibus, vt ſenſilia propria externis ſenſibus; nec earum obiecta adeò ſunt nata facilè iudicari, vt ſenſilia propria. Demum intellectus errare poteſt, nedum in prima apprehenſione, uerùm præſertim in compoſitione & diuiſione. Et ſi etiam aſſereremus cæteras facultates ſolùm ex euentu errare, id quoque recta ratione defendi poſſet.

De communibus ſenſibilibus. *Cap. VI.*

TRIA ab Ariſtotele communibus ſenſilibus tribuuntur Primò, vt ſentiantur ab omnibus ſenſibus; Secundò, vt ſint ſenſilia per ſe; Demũ vt ſint quinque, Motus, quies, figura, magnitudo, & numerus, ad quem redigitur vnitas tanquàm initium. Hæc omnia dubia, & obſcura ſunt: primò dubium eſt, an ſentiantur ab omnibus, quoniam proculdubio figura per guſtatum & odoratum non percipitur, immo neque etiam per auditum: motus quoque, & quies non omnibus ſenſibus percipiuntur, niſi valde ex euentu. Nonnulli nituntur ſeruare vt percipiantur ab omnibus: ſed maximè falluntur, quia dum oſtendunt figuram ab omnibus ſentiri, vel minus proprie utuntur figuræ nomine, vel ſolùm manifeſtant ſentiri ex euentu, & ſic deſtruunt conditionem ſenſilium communium, quæ inter ſenſilia per ſe dinumerantur. Propterea, vt Ariſtotelem ſibimet & cum ratione ſeruemus concordem, dicamus ſenſilia communia propterea communia dici, quia non vni ſoli ſenſui, ſed pluribus reſpondent: ita ſe declarauit Ariſt. in libro de ſenſu & ſenſili, dum dixit cummunia hæc ſenſilia eſſe ſenſuum, etſi non omnium, ſaltem viſus & tactus; his nãque duobus ſenſibus omnia percipiuntur.

Tres communis ſenſibilis conditiones.

Prima Dubitatio.

Nonnullorum opinio reijcitur.

Propria ſẽtentia.

P

piuntur. Quòd ſi in 2. de Anima aſſeruit, ea eſſe communia ſenſibus omnibus; dicendum eſt id duplici de cauſa fuiſſe dictum: primò, quia ſaltem nonnulla eorum communia ſunt omnibus, ut numerus. ſecundò quia in pate facienda, & menſuranda facultate ad maximum eſt reſpiciendum, ideo quamuis non omnia ab omnibus percipiantur, tamen quia dantur quæ percipiuntur ab omnibus, ideo ad hoc maximum reſpexit Ariſtoteles.

An ſenſilia communia ſint ſenſilia per ſe. Cap. VII.

Dubitatio prima. ASSERTVM fuit ſenſilia communia per ſe ab externis ſenſibus ſentiri, quod tamen apprimè dubium eſt. Primò, quia ſentiuntur per aliud, hoc eſt per propria, & in ordine actionis ſenſuum dicuntur accidere propriis, cum propria ſint prima quæ ſenſum mouent. Secunda. Pręterea inſtrumenta ſenſuum & media, ſunt prædita ſenſilibus communibus, ideo non ualent ea recipere, cum recipiens debeat eo carere, quod per ſe recipiendum eſt. Tertia. Inſuper quies, cum ſit priuatio, non valet per ſe ſentiri: pariter nec numerus, qui ex Ariſt. in 20. de Anima cognoſcitur negatione continui: immo nec motus videtur poſſe per ſe percipi, nam uiſio fit ſine tempore, motus non fit ſine tempore, non enim in ipſo nunc reperitur niſi mutatum eſſe. Galeni opinio. Dubia itaque eſt apprimè ea ſententia, adeò ut non iniuria admirabilis Galenus in 2. de placitis Hyppocratis & Platonis cap. 6. aſſeruiſſe viſus ſit ſenſilia communia ex euentu ſentiri, & auxilio rationis & memoriæ. Ariſtotelis ſententia. Ex aduerſo tamen eſt Ariſt. qui ea ſentiri per ſe affirmat, & id ipſum ſenſu diiudicamus, experimur enim in nobis ipſis

nedum

nedum oculum à colore moueri, verùm ſimul à colorati figura certo modo affici; & ſecus à maiori quàm à minori, à moto quàm à quieſcente excitari ad ſentiendum. Propterea pro difficultatis ſolutione conſiderandum eſt in ſenſilibus duo conſiderari: primò inueniuntur ſenſilia propria, quæ primò, & præſertim mouent: ſecundò conſiderantur modi quidam & conditiones apprimè iunctę cum ſenſilibus propriis in ordine ad motum ſenſuum; Qui modi ut ſenſilia propria in ſuo præcipuo ſubiecto certo modo diſponunt, ita quoque certo modo diſponunt actiones eorum. Ex his colligo primò ſenſilia communia non habere ſpeciem ſuam diſtinctã à ſpecie propriorum, ſed addere modum per quem ea diſponitur; adeò ut ſimul dicere ualeamus, & quòd habent & quod non habent ſpeciem per quam mouent. Colligo ſecundò communia ſenſilia, ut non abſolutè & primò mouent, ſed unà mouent, ut non figurant, ſed vnà figurant; ita ſunt ſenſilia per ſe non primò, ſed concomitanter & ſecundariò. Et quoniam ſecundum non operatur ſine primo, ideo communia ſenſilia ſine propriis non ſentirentur ab externo ſenſu: dico ab externo, quoniam imaginatio valet ſeiungere modum à ſenſili proprio. Addo tertio ſenſilia communia ita operari in omnem ſenſum, ut ſenſus eſt, non autem ut hominis: & propterea nedum ab homine; verùm etiam à iumentis & feris percipiuntur. Conferendo itaque ſenſilia communia cum propriis, ea formalius, hæc acrius & vehementius mouent ſenſum, ut rectè ſenſit Theophraſtus.

Difficultatum ſolutio.

Senſibilia cõmunia non habẽt ſpeciem a ſpecie propriorum diſtinctam.

Senſibilia cõmunia ſunt ſenſibilia ſecundario.

Senſibilia cõmunia operantur in ſenſu vt ſenſus eſt.

Solutio dubitationum. Cap. VIII.

EX ueritatis explicatione facilè eluceſcunt ſolutiones difficultatum & colligitur quid ueri includant aliorum ſententiæ. Dixit Galenus communia ſenſilia ſentiri ex euentu, quod eatenus eſt uerum, quatenus non per ſe primò percipiuntur: quod enim eſt per ſe ſecundò, mediat modo quodam inter uerè per ſe, & id quod eſt per accidens; & propterea participat conditiones utriuſque. Inſuper eſt uera conſiderando exactam cognitionem communium, non enim exquiſitè percipiuntur, niſi auxilio internarum facultatum: at non propterea abſolutè inficiari debemus ea per ſe eſſe ſenſilia. Ad primã inſtantiam, quia ſentiuntur per aliud; reſpondeo, ſentiuntur per aliud, ueluti per id quod primò mouet, at quod unà cum eo moueant, habent ex se ratio itaque ſolùm probat non ſentiri per ſe primò. Ad aliud, quia medium & inſtrumentum ſunt prædita communibus ſenſilibus; reſpondeo ſat eſſe, vt recipiens eo careat, quod per ſe primò mouet & recipiendum eſt. Ad inſtantiam de quiete dicunt nonnulli eam ſentiri ex euentu; numeratur tamen inter ſenſilia per ſe, quia eius oppoſitum ſentitur per ſe. Quæ ſententia, ut cenſeo, approbanda non eſt: nam abſolutè inquit philoſophus, ſenſilia communia eſſe ſenſilia per ſe: inſuper inquit in cont. 133. omnia ſentiri ex eo quia mouent ſenſum; hinc græci aſſerunt ſentiri per ſe. Propterea dico quietem non ita puram eſſe priuationem, ut tenebræ lucis: nam cauſa efficiens, pariter & natura dicuntur initia & motus & quietis; pura priuatio caret efficiente: inſuper quies in loco eſt poſſeſſio & conſeruatio loci, uel à natura, uel ab inferente

Galeni opinio quomodo uera.

Solutio primæ.

Secundæ.

Tertia.

Quies nõ eſt pura priuatio.

ferente violentiam pendens. Propterea dico quietem ſenſili proprio ſuperaddere modum quendam ſibi conuenientem, ratione cuius per ſe mouere dicitur. Ad inſtantiam de numero dico ſentiri negatione continui, ita tamen, vt ea ſeiunctio & multitudo ſuperaddat etiam modum proprium, per quem ea ſenſilia ita diuiſa uario modo moueant ac non diuiſa. Ad id de motu, quia non videtur poſſe per ſe ſentiri ab externo ſenſu, reſpondeo eum per ſe ſentiri: quoniam quamuis colores ſine tempore moueant oculum, attamen per aliquod tempus continuata viſione rem eandem percipimus, & in eo tempore apparet ſenſilia propria loco mutari; quia etiam externi ſenſus, quamuis per tempus exiguum, attamen ſeruare valent ſenſilia. Et confirmatur hæc reſponſio, quia ſi nos, ſtatim quòd ſe nobis offert aliquid motum, oculos clauderemus, non perciperemus motum eius: non enim per ſubitam rei oblationem motus percipitur. Sed remanet adhuc dubitatio, quia Ariſto. ſibi videtur contradicere, nam in contextu 133. inquit nos ſentire ſenſilia communia vnoquoque ſenſu per accidens. Ad hoc dico primò, Ariſtotelem id dicere gratia dubitationis; ideo ſtatim ſoluens inquit, omnia ſentiri motu. Addo ſecundò, quòd ſi etiam ſeruare volumus ſententiam illam vt veram, dicendum eſt ſenſilia communia ſentiri vnoquoque ſenſu per accidens, non quia non moueant, ſed quatenus non percipiuntur à viſu vt viſus eſt, neque ab auditu vt auditus ac ita non per ſe primo; hoc enim conuenit ſenſilibus proprijs: ideo Ariſt. in contextu 65. 2. de Anima inquit ſenſilia propria eſſe ea, ad quæ eſſentia vniuſcuiuſque ſenſus per naturam inſtituta eſt.

Quies addit modũ ꝓprio ſenſibili.

Numerus quomodo ſentiatur.

Mot' quomodo ſentiatur.

De

De numero communium ſenſilium. Cap. IX.

SENSILIA communia ab Ariſtotele in ſecundo de anima numerata ſunt; Motus, quies, figura, magnitudo, & numerus: Nomine motus denotauit motum in loco, pariter nomine quietis quietem in loco: per figuram ſignificauit confusè quoſcunque corporum terminos, nam exactè iudicare qualis ſpecies figuræ ſit ea quæ nobis offertur, non externi ſenſus munus eſt, ſed altioris facultatis; quamuis ea id non faciat ſine externo ſenſu: Nomine Numeri etiam denotauit non numerum numerantem, ſed numeratum, & non certam numeri ſpeciem, ſed confusè multitudinem & diſtinctionem. In progreſſu ſecundi de Anima Philoſophus ſuperaddidit vnitatem, quæ partim redigitur ad numerum ut pars & initiũ eius, partim poni poteſt pro ſenſili communi diſtincto, quatenus vnum continuum ſine diuiſione vario modo mouet ac diuiſum & multiplicatum, adeò ut non iniuria ſex ſtatui poſſint. At num præter hæc alia inueniantur? Ariſtoteles in libro de ſenſu & ſenſili enumerat inter communia acutum, obtuſum, aſperum, lene: ſed hæc ad figuram rediguntur, vt ex ſe conſtat. Perſpectiui cenſent communia ſenſilia eſſe viginti, nam ſex iam dinumeratis addunt ſex loci ſiue poſitionis differentias: Surſum, deorſum, anterius, poſterius, dextrum, ſiniſtrum: inſuper præter hæc ſimile, diſſimile, pulchrum, deforme, æquale, inęquale, proximum, diſtans: inde viginti conſurgunt. Sed falluntur, nedum quia plura horum ad prius dinumerata rediguntur; verùm inſuper, quia nonnulla eorũ non ſunt ſenſilia per ſe, ſed ex euentu. Differentiæ loci

Perſpectiuorum opinio.

Perſpectiuorum error.

ci conſideratæ, vt ſunt ad aliquid, ſunt ſenſilia per accidens; vt verò ſunt partes loci, ad magnitudinem rediguntur; nam locus magnitudo quædam eſt. Simile & diſſimile ſunt ſenſilia per accidens, cum ſint relationes quædam. Pariter æquale, & inæquale, pulchrum, & deforme ad figuram rediguntur. Propinquitas, & diſtantia ad magnitudinem. Rectè itaque ab Ariſtotele communia ſenſilia dinumerata fuere. Et quamuis eius numeri rationem nec ipſe nec interpretes afferant, hanc ego cenſeo afferri poſſe. Senſile commune eſt id quod vna cum proprio mouet ſenſum: ſenſile proprium attinet ad tertiam ſpeciem qualitatis, quæ eſt qualitas ad perpeſſionem attinens: propterea id eſt ſenſile commune, cum quo huiuſmodi qualitas per ſe mouet ſenſum; ea autem id facere non poteſt, niſi cum eo accidente abſoluto, cum quo iuncta eſt (nam ſubſtantia & relatio ſenſum non mouent) id verò accidens ſolùm eſt quantitas, vel ad quantitatem pertinens; quæ quantitas vel eſt diſcreta, & inde conſurgit numerus, cuius vnitas eſt initium, vel continua; & hæc vel eſt permanens, huiuſmodi eſt magnitudo, cuius terminus eſt figura; vel eſt in fluxu, & menſuratur tempore, vt motus cui opponitur quies: tempus ſolùm percipitur, vt eſt idem cum motu; locus ſolùm mouet ſenſum ſub ratione magnitudinis vel figuræ.

Ratio numeri ſenſibilis communis traditi ab Ariſtotele.

De ſenſilibus ex euentu. Cap. X.

QVOTIESCVNQVE nouerimus id quod eſt per ſe tale, facile eſt cognoſcere ea quæ ſunt huiuſmodi ex euentu: quod enim eſt per ſe, eſt menſura eorum quæ ſunt per accidens; & id quod eſt per accidens, dicitur receſſus ab eo quod eſt per

ſe: &

ſe: & dicitur accidere ei, quatenus conſideramus id quod eſt per ſe vt primum vel præcipuum, cætera verò in eo ordine vt aduentitia & conſequentia. Senſilia per ſe ſunt ea, quæ ſenſum mouent; Senſilia per accidens non mouent, ſed ſunt adnexa ſenſilibus per ſe, vel communibus, uel proprijs, & per ea ſentiri dicuntur. Et quoniam connecti poſſunt vel proximius vel remotius, propterea in his quæ ſunt per accidens, in ordine ad ea quæ ſunt per ſe, conſiderari poteſt ordo aliquis: Ea quę ſunt ſenſilia per accidens, uel ſunt omnino per accidens, vt ſubſtantiæ & relationes; uel ſunt per accidens alicui, vt coloratum per accidens auditur: Si hæc inuicem conferantur, & quæratur quod nam eorum ſit magis per accidens; dicendum cenſeo, aliud eſſe quærere quodnã ſit magis propriè, & quodnam ſit magis purè per accidens: Magis propriè eſt id quod natum eſt eſſe per ſe, nã per ſe & per accidens propriè ſunt oppoſita nata fieri in eodem; magis purè eſt quod omnino & penitus eſt per accidens, & nunquam per ſe. At dices, ſi aliquid non eſt natum eſſe per ſe, quomodo dici poteſt per accidens? nil enim toto ſuo genere per accidens eſt. Et Auerroes in 2. de Anima t. 33. inquit, quod uni eſt per accidens, alteri eſt per ſe? Ad hoc dico, de ratione eius, quod eſt quouis modo per accidens, hoc ſolum eſt, vt ſupponat aliquid per ſe, & dicatur tale in ordine ad aliquid quod per ſe eſt; non autem vt ſenſile per accidens ſit natum ſentiri per ſe, uel intelligibile per accidens ſit natum per ſe intelligi. Et dum dicitur, nil toto ſuo genere eſt per accidens, reſpondeo id tantum eſſe uerum de natis eſſe per ſe, quæ ſi non ſunt per ſe dum referuntur ad unum ſunt per ſe relata ad aliud, at quod forma quæ alicuius affectionis ex euentu eſt particeps, debeat eiuſdem eſſe particeps per ſe, maxime uerum eſt. Ad Auerroem reſpon

Diuiſio ſenſibiliũ per accidens.

Inſtantia.

Solutio.

Quomodo aliquid poteſt eſſe quouis modo per accidens.

deo eum loqui de ſenſilibus communibus, quæ ſunt nata ſentiri per ſe; ideo ſi per accidens à quinque ſenſibus ſentirentur, deberent ſentiri per ſe ab alio ſenſu. At quæritur num ſubſtantiæ ſeparatæ dicantur ſentiri per accidens? Reſpondeo eas quoque ſub ſenſum cadere per accidens, at ſecus quàm ſubſtantiæ, quæ ſubijciuntur accidentibus: non enim per accidens ſentiuntur ratione accidentium, quæ ſint in eis; ſed ratione motus pendentis ab eis, & ratione ſenſilium operum, quæ enarrant gloriam Dei. Subſtantię ſeparatæ quomodo ſentiantur

An ſenſilia per Accidens ſentiantur à brutis. Cap. XI.

SENSILIA communia ſentiri à iumentis & feris conſpicuum eſt: an uero ſenſilia per accidens ab eis ſentiantur, apprimè latet. Et quoniam ſenſilia per accidens ſunt duorum generum, de vno non eſt dubitatio, conſtat enim ex euentu ab eis id ſentiri quod ab alio ſenſu ſentitur per ſe: ſic vident Iumenta dulces herbas, audit lupus dulce alimentum, dum audit agnum: dubitatio eſt de alio, ut pote de ſubſtantia. Communis ſententia eſt, huiuſmodi ſenſile per accidens ab eis non ſentiri: ratio præcipua eſt, quoniam iumenta & feræ ſubſtantiam non cognoſcunt, & propterea non dicuntur eam ſentire per accidens; vt enim per accidens aliquid cognoſcatur, requiritur vt cognoſcatur; homo dicitur per accidens ſentire indiuiduũ ſubſtantiæ, quoniã ex ea ſenſatione valet per internas facultates indiuiduum ſubſtantiæ apprehendere, quod non valent efficere iumẽta. Ideo Auerroes, D. Thomas, Philoponus negant iumenta cognoſcere huiuſmodi ſenſilia per accidens. Quæ ſententia mihi apprimè vi- Communis opinio

Reiectio huius opinionis.

detur dubia:ratio eſt: quoniam Ariſt.agens de ſenſilibus eaque diſtinguens, vniuerſè de illis verba facit, & non ea refert ſolùm ad ſenſus vt ſunt hominis, ſed vt ſenſus ſunt. Præterea hæc dicuntur ſenſilia per accidens, quoniam accidunt his quæ ſunt per ſe,hoc autem eſt verum, etiam dum referuntur ad iumenta. Propterea dicendum cenſeo Ariſtotelem conſideraſſe & explicaſſe ſenſilia in ordine ad ſenſus,vt ſenſus ſunt, non autem vt ſunt hominis: & ſubſtantiam eſſe ſenſile per accidens nedum relatam ad hominem ſed etiam ad iumenta, vario tamen modo,magis enim proprie percipiuntur ab homine, minus, à cęteris. Hoc etiam eſt conſonum communi vſui loquendi: dicimus enim lupum videre agnum, ceruum videre hominem, quatenus vident id coloratum, cui accidit vt ſit agnus vel homo. Et quamuis non valeant cognoſcere ſub ratione indiuiduæ ſubſtantiæ, ſed ſolùm ſub ratione colorati conferentis vel aduerſi, vt canis ſuum dominum, & Agnus paſtorem cognoſcit: non propterea inficiari debemus, quòd modo aliquo per accidens id ſentiant, quatenus accidit ſenſili per ſe; hanc enim ſolam conditionem retulit Ariſtoteles,non aliam

Quomodo ſenſuum ſit pati. Cap. XII.

EX notitia ſenſilium ad explicationem operationis ſenſuum progrediendum eſt: dicuntur ſenſus pati à ſenſilibus, & in perpeſſione dicuntur collocati, qua de re ardua & perplexa eſt dubitatio; & iurè quidem, nam Ariſt. ſibi conſtare non uidetur. Nonnunquam aſſerit ſenſus in perpeſſione eſſe poſitos, nonnunquam affirmat eos efficere, & iudicium eſſe operam eorum. Pariter nos in eis

modò

modò perpeſſionem modò effectionem conſideramus, adeò vt iure ſimus ancipites, num patiantur vel potius agant. Quam difficultatem vt breuibus perſtringam, & pro facultate illuſtrem; præaccipio ſenſum ad duo referri poſſe, primò ad ſenſilia, mox ad notitiam ſenſilium. Hæc duo diſtincta ſunt, & ſeorſum conſideranda: cum enim plurimi ea confundant, reddunt confuſam vniuerſam conſiderationem. Referendo itaque primò ſenſum ad ſenſilia, & nomine ſenſus intelligendo eum cum inſtrumento ſuo iunctum, aſſero in perpeſſione eſſe poſitum: nam vt ſentiat, neceſſe eſt vt à ſenſili moueatur. Hoc frequenter affirmat Ariſtot. vt in 2. de Anima 51.59.62.& alibi; idipſum experientia docet, percipimus enim in nobis ipſis à ſenſilibus moueri & alterari, & quouſque non moueamur, nihil ſentire: ea tamen perpeſſio, ſenſus non interitus, ſed perfectio eſt. Verùm ardua inſurgit hoc in loco dubitatio, quomodo ſenſilia quæ in materia & in corpore ſunt, quorum proprium eſt operari cum tranſmutatione & interitu, valeant in ſenſum ſine interitu agere, & ſui ſpeciem & actionem ſine materia producere: præſertim quia operatio pendet ab ipſo eſſe, & res vt ſunt ita operantur; ideo ſenſilia, quæ & in corpore & in materia ſunt, virtute propria ſolùm valent cum materia & corporea tranſmutatione operari. Confirmatur, quia agens ſupra ſe non erigitur, & actionem ſuperioris gradus non valent producere: non itaque ualent ſenſilia in ſenſum eminentiorem actione ſpiritali & eminentiore operari. Mouit Auerroes in 2. de Anima comment. 60. hanc difficultatem, ſed eam exactè non diſſoluit: propterea variæ fuerunt interpretum ſententiæ. Nonnulli dixerunt, vt Clariſſimus Buccaferreus, ſenſilia id efficere auxilio cœli, & virtute ſeparatarum

Senſus ad duo poteſt referri.

Quo ſenſus ſit paſſio.

Quomodo ſenſibilia agant.

Buccaferrei ſententia.

formarum. Sueſſanus affirmauit formam operari poſſe, & ut eſt forma in materia, & vt inſtrumentum primæ cauſæ: hoc ſecundo modo cenſuit ſenſilia poſſe in ſenſum agere. Quæ ſententiæ approbandæ non ſunt, quoniam intelligentiæ & cœlum ſunt cauſæ communes, quæ vniuersè ad omnia conferunt: hæ, de quibus loquimur, ſunt operationes propriæ, quæ cauſam propriam expoſcunt: hanc nos quærimus, & de hac ambigimus. Præterea dum dicimus ſenſilia id facere virtute uel cœli uel intelligentiarum, uel denotatur ſenſilia eſſe ſolùm inſtrumenta, vel denotatur ea eſſe cauſas ſecundas: Si primum, contra, inſtrumenta non efficiunt aliud ſibi ſimile, neque abſolutè dicuntur efficere, at ſenſilia abſolutè dicuntur mouere ſenſum, & ſenſum reddere ſibi ſimilem, non cœlo, non ſubſtantijs abiunctis: Si verò denotatur ſenſilia eſſe cauſas ſecundas, contra, hoc eſt commune omnium mortalium operationibus, ſemper inferiora relata ad cœlũ & intelligentias dicuntur cauſæ ſecundæ; & cum ſint cauſæ ſecundæ præſupponentes primas, contrahunt tamen actiones primarum, & operantur ut ſunt. Confirmantur hæc omnia, quoniam Ariſtoteles in primo cœli 92. aſſeruit cuncta ſenſilia per materiam eſſe ſenſilia, nõ itaque ſunt ſenſilia ut inſtrumenta ſeparatarum formarum vel cœli. Mitto opiniones alias, quæ multæ ſunt, & ex ſententia dico ſenſilia eſſe formas in materia, & eis unum ſolùm conuenire ex propria uirtute operandi modũ nempe cum materia & tranſmutatione, quomodo omnia in medium & per medium operantur: ſolùm color ſui ſpeciem & ſpiritalem actionem ualet emittere, & id habet non ex ſe ſed à lumine: ideo Ariſtoteles in 3. de Anima 17. intellectũ agentem dixit ſimilem lumini, quod etiã affirmauit Auerroes 2. de Anima 67. Lumẽ itaq; ſolum

Hę opiniones reijciũtur.

Propria opinio.

Color ſpiritualiter agit uirtute luminis

ob

ob ſui eminentem conditionem,& quoniam uel cœleſte eſt uel cum cœleſti habet affinitatem, ualet ſpiritaliter operari,& colores uirtute luminis;at ſenſilia cæterorum ſenſuum ſolùm operantur cum materię tranſmutatione, nec ſecus in medio reperiuntur. Hoc lucidiſſimè cõſtat ex eo,quia ſolùm lumen, & colores ſine tempore per vniuerſum medium diffunduntur, à uento non repellun tur,ſolùm directè feriunt oculos,ſtatim remoto colorato uel lucido deſinunt per medium ſentiri; cum ſenſilia cæterorum ſenſuum tempore egeant,ut ſenſum moueãt, ideo longè prius viſu percuſſionem quàm auditu ſonum percipimus:reliqua uerò ſenſilia,quæ per externum medium percipiuntur, repelluntur à uento, & nedum directè uerùm etiam obliquè feruntur ad ſenſum,& demum ſeruantur in medio etiam remoto obiecto ſenſili. Non me latet Auerroem fuiſſe alterius ſententiæ,ut colligitur ex com.97.& 101.2.de Anima,& ex locis alijs. At ego cum eo non conſentio, & rectius ſenſiſſe cenſeo Auicennam in 6.ſuorum naturalium,qui odores per mediũ non ſpiritaliter ſed ſolùm modo corporeo diffundi exiſtimauit:fundamentum Auerrois ut leue miſſum facio. Quòd ſi quis inſtet per Ariſtotelem, qui inquit ſenſilia poſita ſupra ſenſum non ſentiri:Reſpondeo Ariſtotelis ſententiam eſſe intelligendam de primo ſubiecto ſenſilium, quod craſſum & denſum eſt: id ut ſentiatur, debet in vapores conuerti, uel per medium tenue diffundi, ac ita inſtrumentum ſenſu prędutum mouere. Colligens itaque aſſero; dum ſenſus referuntur ad ſenſilia, ſenſus patiuntur, ſenſilia,mouent,& inter ſenſilia ſolùm attinentia ad uiſum virtute luminis ſine materia operantur,cætera uerò omnia cum materia & tranſmutatione.

Auicẽnæ opinio laudatur.

Inſtantia.

Solutio.

Quomodo

Quomodo ſe habeant ſenſus ad munus ſentiendi. Cap. XIII.

QVAMPRIMVM inſtrumentum facultate ſentiendi prægditum ab externo ſenſili motum fuerit, percipimus inde conſurgere iudicium de ipſo ſenſili: quæ verò eius iudicij ſit cauſa efficiens, non conſtat. Aſſeruerunt nonulli ſenſum ſolùm pati, nec vllo modo agere, at ſenſilia eſſe ea quæ agerent: nam ſentiendi officium nil aliud eſſe exiſtimarunt, niſi exactam ſenſilium ipſi ſenſui oblationem. Huius opinionis fuere nonnullis ex Latinis, ex quorum numero etiam fuit Clariſſimus Ludouicus Buccaferreus, qui aſſeruit ſentiendi facultatem ſolùm pati, actionem omnem conuenire obiecto virtute cœli & intelligentiarum. Sed hi longiſſimè à vero & ab Ariſtotele recedunt: manifeſtè enim Ariſtoteles in 2. de Anima 37. aſſeruit ſenſus eſſe efficientes cauſas muneris ſentiendi. Neque dicendum eſt, ut illi affirmant, Ariſtotelem tunc loqui ex ſententia Platonis, quoniam Ariſtoteles frequenter eandem ſententiam confirmat: nam ſentire dicitur actus ſecundus, anima ſentiens actus primus, actus ſecundus animæ eſt eius operatio. Inſuper in 2. de anima 127. manifeſtiſſimè affirmat ſentire eſſe quid aliud à perpeſſione ſenſus: inquit enim ob perpeſſionem mediũ nõ ſentire, ſed reddi ſenſile; at olfacere eſt non reddi ſenſile, ſed ſentire & agere. Præterea in 9. Meta. contex. 16. inquit Ariſtoteles ſentiendi, & videndi munus eſſe actiones immanentes: in 10. Ethic. cap. x. inquit, eſt ſua cuiuſque ſenſus voluptas, ſeu dicamus agere ſenſum ſeu animal, nihil differt. Ex his, & ex huiuſmodi alijs innumeris,

Nonnullorum opinio.

Confutatio horum opinionis.

Senſus & agit & patitur.

meris, quæ ex Ariſt. poſſent afferri, manifeſtiſſimè patet eum putaſſe ſenſum efficere dum ſentit, non autem ſolùm pati: de qua ſententia Græci omnes conuenerunt. Ideo Alexander in primo de Anima cap. de intellectu practico & ſpeculatiuo inquit: quanquam per corporeas affectiones ſenſuum functio fit, ſentire tamen non eſt pati, ſed iudicare & diſcernere. Simplicius infinities & in primo & ſecundo de. Anima id affirmat. Auerroes in 2. de anima comm. 149. lucidiſſimè hoc expreſſit inquiens, eſt recipiens per ſenſus, & agens per iudicium; recipere enim aliquid aliud eſt ab ipſo iudicare. Propterea Galenus in 2. de decretis Hipp. & Platonis c. 6. inquit: neque tamen alteratio ipſa, vt quidam putant, ſenſus eſt ſed alterationis dignotio: & proculdubio qui ſecus cenſent, ſe nedum rationis ſed ſenſuum quoque impotentes patefaciunt; quid enim aliud in obeundo munere ſentiendi eſt efficere, quàm ſentire? Propterea ſi ſenſilia ſolùm efficerent, & non ſenſus, ſenſilia ea eſſent quæ ſentirent. Et quilibet in ſemetipſo experiri poteſt, dum ſentit, ſe non pati ſolùm ſed agere, eamq; actionem eſſe munus ſenſuum. Simplicij & Auerrois opinio laudatur.

Quomodo Animalia per ſenſus ſentiant. Cap. XIIII.

DVM nobis ſeſe offerunt ſenſilia, & ab eis inſtrumenta ſenſuum mouentur, non eſt putandum perpeſſionem illam ſolùm attingere inſtrumentum, non autem facultatem ſentiendi, vt exiſtimauit Simplicius: manifeſte enim aſſeruit Ariſto. ſenſum pati, quod ratione oſtenditur, quia inſtrumentum ſenſuum patitur à ſenſili vt viuens, vt facultate præditum, & cum ea iunctum, non vt ea deſtitutũ; & præſertim:

tim, quia entiendi facultas à materia & à corpore pendet, ideo dum patitur inſtrumentum ſentiendi, vt etiam patiatur facultas neceſſe eſt. Patitur itaque vna cum eo, & ex euentu ita afficitur, vt ſentiendi inſtrumẽtum ratione ſuæ corporeæ partis per ſe pati & affici à ſenſili dicitur; & cum patiatur, mox eius affectionis iudiciũ tradit. At quomodo id faciat, non facile eſt videre. Diuiſit Simplicius facultatem ſentiendi, in eam quæ format, & eam quæ inſtrumento formato vtitur: aſſeruit facultatem quæ vtitur eſſe præditam rationibus rerum ſenſilium, mox inquit externa ſenſilia agere in inſtrumenta ſenſuum; quæ inſtrumẽta ratione corporis patiuntur, ratione formatricis facultatis agunt agere autem dicuntur quatenus vis formans affectionem illam reddit puriorẽ & minus corpoream; quæ actio iudiciũ non eſt, ſed mox ea purior affectio attingit rationem, vtente facultati inſertam cum ea iungitur vt effectus cum ſua cauſa: & tunc facultas vtens per unam albedinis rationem iudicat omnem albedinem, vel per vnam rationem dulcedinis omnem dulcedinem cognoſcit, & ita de cæteris: quę cognitio eſt actio vtentis & ſentientis facultatis, quæ dicitur reddi ſimilis ſenſilibus, non quia ab eis aliquid recipiat, ſed quia per rationem ſenſilibus reſpõdentem agit & iudicat. Hæc Simplicij ſententia eatenus approbanda eſt, quatenus ſenſui actionem tribuit, in cæteris omnibus à ſententia Ariſt. longiſſimè diſtat. Diuiſio facultatis in vtentem & formantem ſuperuacanea eſt, eadem enim facultas fungitur vtroq; munere, nec ſecus eſſe poteſt, quoniam eadem facultas iudicat quæ ab externo ſenſili excitatur. Inſuper rationes ideis reſpondentes in Anima admitti non debent, cum Ariſt. accuratiſſimè oſtendat id quod recipit debere eſſe potentia, & carere eo quod recipiendum eſt: ac inſuper cum exactiſſimè ideas reijciat, à

Quõ agat ſenſus in iudicãdo.

Simplicij opinio.

Simplicij opinio refellitur.

quibus

quibus ducuntur rationes. Præterea ea duplex actio facultatis, vna formantis altera utentis, ſu peruacanea eſt: dum enim agit ſenſus erga ſenſilia, ſentire dicitur. Sed dimiſſo Simplicio inquiunt nonnulli illuſtriores inter latinos ſentiendi facultatem pati ab externis ſenſilibus, ſed mox eam vna cum forma ſenſili iam recepta agere & iudicare; adeò vt ſenſus ſolus patiatur, ipſe uero unà cum ſpecie ſenſili agat & iudicet: cui ſententiæ ſubſcribendum non cenſeo. Primò, quia ſi ſentiendi facultas ſola patitur, unà cum ſenſili agit, ſequeretur quòd ſpecies illa ſenſilis præſertim ageret, cum per eam facultas ſentiendi ex patiente reddatur efficiens. Præterea abſurdum eſt putare, id de quo eſt iudicium, iudicium efficere: nam efficere iudicium eſt ſentire & iudicare, ſenſilia non iudicant uel ſentiunt, alioquin idem iudicaret ſeipſum. Confirmatur, quoniam obiectum & facultas opponuntur; ideo ad munus cognitionis obeundum oppoſito modo debent concurrere: cum itaque ſentiendi facultas agat, ſenſilia ſunt ea, erga quæ uerſantur actiones, & de quibus promitur ſententia & iudicium.

Latinorũ quorundã opinio.

Confutatio huius opinionis.

Sententia propria. *Cap.* *XV.*

CVM aliorum ſententiæ mihi apprimè dubiæ videantur, referam quod ſentio, ſentẽtiamq; meam iudicio peritiorum libentiſſimè ſubijcio: non enim me latet, quàm longè ab ingenuo philoſophiæ genere illi diſtent, qui ſolùm iactationem, arrogantiam, inanemq; temeritatem in dictis uel ſcriptis ſuis patefaciunt. Aſſero itaque in inſtrumento ſenſuũ unicã inueniri facultatẽ, adeò ut inter utentem & formantem nulla ſit diſtinctio. Addo inſuper ſenſilia ex-

terna in inſtrumenta ſenſuum agere, quæ ſenſoria ratione corporis patiuntur, ratione Animæ agunt: perpeſſio attingit Animam, vt ab inſtrumento pendet. Ea affectio à ſenſilibus pendens eſt corporea, & cum materia, præter eam quæ ad oculos pertinet: actio verò eſt iudicium, quod Animæ munus eſt vel compoſiti ratione Animæ, nam Anima per affectionem illatam à ſenſilibus excitatur & iudicat, iudicium proximè tendit ad illatam affectionem, per eam verò ad externum ſenſile ut ad præcipuum ſcopum terminatur: Iudicium, quod eſt ſecundus actus ſentientis facultatis, idem eſt cum ea, quæ ab Ariſtotele dicitur ſpecies rei ſenſilis ſine materia; & cum facultas ſentiendi efficiat cognitionem, etiam ſpeciem illam dicitur efficere. Accidit tamen nonnunquam, vt minus propriè affectio illata à ſenſilibus ſpecies nuncupetur, propriè tamen ea ſola eſt ſpecies ſine materia, quæ eadem eſt cum iudicio ſentientis facultatis. Et quãuis colores & lumen dicantur ſine materia agere, attamen non valent efficere ſpeciem illam propriè ſumptam, quæ dicta eſt eadem cum iudicio ſenſuum, eam enim ſola valet efficere vis videndi. Inſuper ea ſpecies poteſt conſiderari vel in habitu vel in actu, in actu eſt dum ſenſus actu ſentit, in habitu verò dum in memoria ſeruatur. Ex his colligo primò ſenſus pati à ſenſilibus, at eorum perpeſſionem terminari ad actionem. Colligo ſecundò affectionem illatam à ſenſilibus eſſe perfectionem, quia leuiter & ſine læſione mouent, & ea affectio ad iudicium terminatur, quod eſt ſola perfectio ſine interitu. Patet inſuper quàm rectè ſentiens ſentiendo reddatur ſimile ſenſilibus, cum actus eius ſit ſpecies, & imitatio rei ſenſilis, adeò vt ſentiens per imitationem iudicando dicatur ſenſile fieri. Pari quoque ratione explicatur quod dicitur ab Ariſt. ſenſum ſuſcipere ſpeciem ſi-

ne

ne materia,& actum ſenſus eundem eſſe cum actu ſenſibilis. Demum patet quid nam de Senſu Agente ſit dicendum: nam dum primò ſenſus referuntur ad ſenſilia, ſolùm patiuntur, nec actio ulla ſenſus apparet; ſolum lumen proportione quadam intellectui agenti reſpondet cum virtute eius colores ſine materia oculos moueant: ideo Ariſt. intellectum agentem lumini dixit ſimilem. In altera verò conſideratione, dum ſenſus referuntur ad ſentiendi munus, ſolùm agunt; munere cuius actionis, quæ re eſt eadem cum propriè ſumpta ſpecie ſenſili, nedum admittitur ſenſus agens, verùm inſuper dicitur apprimè neceſſarius, & dignitate præfertur ſibimet, quatenus prima conſideratione patiens eſt. De ſenſu agẽte quid dicendum

Finis Libri Quinti.

PETRI DVODI FRANCISCI D. MARCI PROCVRATORIS FILII

De Anima Liber Sextus.

Et eſt de Senſibus Externis.

Cur primò de ſenſu uiſus agatur. *Cap. I.*

QVONIAM ſenſus apprimè nobis ſunt familiares, ſunt initia noſtræ cognitionis, innumeras nobis præbent utilitates, & demum ſunt fontes corporeæ uoluptatis: iurè ſunt nobis gratiſſimi, & eorum cognitionem ſummopere expetimus.

Senſuū diuiſio. Senſus ſunt Animæ facultates, quæ ex propria ratione in ſingularium ac ſenſilium cognitione uerſantur. Diuiduntur, nã quidã externi, alij interni nuncupantur. Externi ſunt illi, quibus perinde ac arciũ exploratoribus externa ſenſilia primò occurrunt, quæ mox ad internos deferuntur,

rantur, propterea initia prima & apprimè neceſſaria ſunt noſtræ cognitionis:adeò vt cum vno eorum per naturam priuamur,non amplius valeamus aſſequi notitiã ſenſilium ad illum attinentium. Senſus verò interni nobiliores ſunt, quibus famulantur externi, & propterea ſunt natura priores. Verùm quia ſunt obſcuriores, nec poſſunt cognoſci non cognitis externis, ideo ab externis ordiendum: quòd ob id potiſſimum faciendum eſt, quoniam in methodo ab obiectis & munerum functionibus progrediendum eſt ad facultates; obiecta autem munerumque functiones externorum ſenſuum origine eas antecedunt, quæ ad internos pertinent. Verùm cum conſtet iure optimo ab externis ſumendum eſſe initium, non ita patet, à quo ex externis auſpicari debeamus. Plato in Timæo orditur à tactu, idipſum facit Auicenna in 6. ſuorum naturalium: cuius ordinis ratio eſt,quia tactus eſt communior & origine prior cæteris, competit enim pluribus, & à reliquis facultatibus ſentientibus præſupponitur. Inſuper videtur cæteris notior, cum Ariſt. afferat in primo de hiſtoria animalium cap. 15. tactum ex ſenſibus homini exquiſitiſſimè conuenire, mox guſtatum, in reliquis à multis animalibus ſuperari. Ex aduerſo Ariſt. orditur à viſu, nec cenſendum eſt ſine optima ratione id feciſſe. Propterea vt ratio ordinis appareat, accipiendum eſt ordinem naturæ eſſe duplicem, vnum originis, alterum perfectionis: primus reſpondet operationi naturæ, alter inſtituto eius, & hic ſecundus præcipuus eſt. Inſuper accipiendum eſt ordinem eſſe duplicem, vnum ex neceſſitate ſumptum, dum ſine notitia alicuius aliud cognoſci non poteſt, alterum ex eo quia melius eſt ita progredi. Et hic ſecundus ex varijs accipi poteſt, nempe ea facilitate, ex dignitate, ex vtilitate, ex deſiderio noſtræ cognitionis,

Cur de ſẽſibus externis primo agatur.

Platonis opinio.

Ariſtotelis opinio.

Sententia propria.

gnitionis, & demum ex aliqua nobis oblata opportunitate. His præaſſumptis dico ex externis ſenſibus vnum non eſſe neceſſarium pro notitia alterius, ideo ordinem declarationis eorum carere neceſsitate. Addo, cum careat neceſſitate, & valeamus ſine errore cum à viſu, tum à tactu ordiri, melius eſt ordiri à viſu. Primò, quia nobilior eſt, & verè natura prior, vt in 2. de ortu & interitu contextu 7. aſſeruit Ariſtot. Secundò, quia eum maximè diligimus, & ſummopere expetimus ipſum cognoſcere, vt ex initio procemij Metaphy. colligitur. Inſuper ratione noſtræ cognitionis, nam in viſu diſtinctè apparent omnia conducentia ad ſenſum; conſtat vnitas facultatis, quæ in tactu latet; conſpicuum eſt inſtrumentum eius medium, obiectum, adeò vt ex notitia huius ſenſus cumulatiſſimè paremur ad notitiam aliorum. Demum iudicium huius ſenſus certiſſimum & exquiſitiſſimum eſt. Quòd ſi aliqua ex parte difficilioris cognitionis eſt ob modum quo fiat viſio, & ob lumen pro eo neceſſarium, hoc nihil refert: tum quia hæc difficultas non minuitur ex aliorum ſenſuum cognitione, tũ etiam quia in potioribus ad ſentiendi munus conferentibus illuſtrior & clarior eſt. Ex his conſtat nec Platonem nec Ariſtotelem erraſſe, rectius tamen Ariſtotelem ſeruaſſe ordinem, & facile eſt rationibus alterius partis ſatisfacere. Ad primum dico tactum eſſe quidem communiorem, quia pluribus competit ſed cum ſit communior, non propterea eſt genus aliorum ſenſuum, neque neceſſarius pro eorum notitia. Et dum additur, quòd eſt notior, quia homini exactiſſimè competit, reſpondeo dupliciter: primò aſſero notitiora eſſe prius declaranda, dum conducunt ad aliorum notitiam; at ſi non conducunt, ut ſe habet de tactu in ordine ad uiſum non eſt neceſſe, vt prius declarentur. Addo ſecundò viſum

Ariſtotelis opinio melior.

Solutio fundamentorum Platonis.

ſum non eſſe abſolutè ignotiorem: Et dum id oſtenditur, quia tactus exquiſitiſſimè conuenit homini; dico aliud eſt conuenire exquiſitiſſimè, pro iudicando ſuo obiecto, facta comparatione cum tactu cęterorum animalium aliud eſſe notius, hæc ſunt duo apprimè diuerſa. Præterea quamuis tactus hominis ſit exquiſitior tactu iumentorum, non propterea eſt certior & exquiſitior uiſu, immo è contra.

De obiecto viſus. Cap. II.

VARIA. ſunt, quæ ſenſu viſus percipiuntur, vt lucida, colorata, & nonnulla quæ ancipitis naturæ eſſe videntur, partim lucida, partim colorata; vt ſunt oculi, ſquammæ piſcium, & ſimilia. Et quoniam obiectum debet eſſe vnũ, propterea iurè ambigimus, quodnã debeat ſtatui obiectũ viſus. Qua de re vt lucide & diſtinctè agamus, accipiendũ nos multa videre: at dum quærimus obiectũ, ſolũ id conſiderare debemus, quod per ſe & proprium eſt: huiuſmodi ſunt duo tantùm, color; & lumen, ad hæc cætera rediguntur: ideo de his eſt dubitatio, quod eorum debeat ſtatui obiectum. Nonnulli colorem accipiunt: nam Ariſtoteles inquit, uiſibile eſt color, & inquit, oculum debere carere colore, non autem ait debere carere luce, cũ tamen inſtrumentũ ſuo obiecto denudatum eſſe debeat. Inſuper lumẽ nuncupatur color perſpicui, & quotieſcũque lucidum conſpicimus, id uidemus, vt coloratum, & iudicamus vel rubeum uel album, quæ omnia denotant colorem eſſe obiectum. Ex aduerſo alij lumen ſtatuunt obiectum, quoniam ſola lux uel lumen ex ſe cõſpicitur, colores virtute luminis. Ideo dixit Ariſtoteles in 2. de anima 72. lumen per ſe videtur, color ope luminis.

Quorundam opinio.

Aliorum opinio.

Inquit Simplicius, quod aſpicitur vel eſt lumen, vel ei cognatum. Alexander in primo de Anima 13. inquit, lumen maximè & præſertim natum videri eſt, & eſt cauſa alijs vt uideantur; ideo Sol dicitur primum eorum quæ viſu uſurpantur, & cauſa prima, vt videantur alia. Soluens difficultatem dico, ſi per obiectum viſus intelligimus omne quod per ſe & propriè à uiſu percipitur, ſic aggregatum ex luce & colore eſt obiectum uiſus. Hoc denotauit Ariſtoteles in 2. de Anima 66. dum dixit uiſibile eſt color, & quod oratione quidem exprimi poteſt, nomine autem caret; denotans & lucida, & quæ anticipitis ſunt conditionis. Inſuper ſi nomine obiecti denotatur id quod ita eſt primum, vt ſit illud quo cætera uidentur, id autem non per aliud, huiuſmodi eſt lux vel lumen: & hoc oſtendunt rationes nuper adductæ. Demum ſi per obiectum intelligimus id in quod tendit, & ad quod terminatur videndi facultas, huiuſmodi eſt color, adeo quòd lumine colorata videmus. Et quoniam magis propriè ſumitur obiectum in hac poſtrema ſignificatione, ideo rectius loquimur, dum dicimus obiectum viſus eſſe colorem, quàm dum aſſerimus quòd ſit lumen. Propterea Plato in 6. de Republica lumen nuncupauit medium quo videmus; & nexum oculi cum coloribus. Galenus quoque in 7. de placitis cap. 5. inquit proprium & primum ſenſile viſus color eſt. Et ſi quis dubitet, quoniam ſi uidendi facultas per ſe & propriè varia genera iudicat, non erit facultas vna: dicendum eſt id non ſequi, quoniam ea non ſunt obiecta, quæ æquè primò, & eodem gradu referantur ad facultatem videndi, ſed ſunt ſubordinata, & ab vno; ad eò quòd eodem conſiderandi modo vnum ſolùm eſt primum: & ea ſubordinatio reperitur in ſenſilibus à ſenſu viſus, & non in alijs, ob eminentiam huius ſenſus, ac

Propria opinio.

Inſtantia.

Solutio.

vt ſine materia à remotiſsimis moueretur. Propterea à Platone ſenſus opulentiſſimus nuncupatur.

Ob quæ requiratur lumen in viſione, opiniones aliorum. Cap. III.

QVOD lumen, vt videamus, ſit neceſſarium, docet experientia, & conſentiunt omnes: ob quæ verò ſit neceſſarium, ſummopere diſſentiunt. Opiniones præcipuæ tres ſunt: Prima fuit Auempacis, qui cenſuit lumen ſolùm pro obiecto requiri, vt illuſtret quæ viſu percipiuntur, cuius ſententiæ etiam fuit Auicenna in 6. ſuorum naturalium: Hi exiſtimarunt in tenebris non propriè inueniri colores, ſed facultatem quandam & initia, ex quibus ut ex materia, & ſuperueniente lumine vt forma colores conſurgerent, qui varij eſſent ratione varietatis initiorum, poſitionis, & recipientis facultatis; etſi in aliquod effundatur lumen, in quo ea recipiendi facultas & initia non inueniantur, ſolùm in eo conſpicitur lumen, non color. Eiuſdem opinionis fuit Epicurus, de qua multa leguntur apud Lucretium libro quinto & inter cætera hæc quæ ſequuntur. Auempacis, & Auicennæ ſententia.

Præterea quoniam nequeunt ſine luce colores
Eſſe, neque in luce exiſtunt primordia rerum.
Scire licet, quàm ſint nullo uelata colore;
Qualis enim cæcis poterit color eſſe tenebris?
Lumine qui mutatur in ipſo, propterea quòd
Recta aut obliqua percuſſus luce refulget. &c.

Confirmatur hoc exemplo colli columbæ, caudæ pauonis, vndarum maris, nubium: quæ omnia ex varia Primũ horum fundamentum.

poſitione & luminis receptione varium preſeferunt colorem. Idipſum ratione oſtenditur: primò, quia cum vis videndi ſit vna, quæ per ſe & propriè ab ea iudicantur, ad vnum genus redigi debent; & cum lumen non poſſit redigi ad colorem, eſt neceſſe vt color ad lumen redigatur: & iurè, nam dum aliquid alicui primò competit, cæteris competit per illud; videri primò conuenit lumini, quare cætera conſpiciuntur vt ſunt lumina quædam, vel lumine prædita. Quòd lumen non requiratur ex parte medij, oſtendebat Auempaces, ex relatione Auerrois: quoniam recipiens, vt rectè ad recipiendum paratum ſit, debet eius eſſe expers quod recipiendum eſt: cum itaque colores ſint lumina quędam, & recipiantur in perſpicuo, vt rectè recipiantur, debet perſpicuum luminis eſſe expers. Ex aduerſo eſt Auerroes, D. Thomas, & quàm plurimi ex Latinis, qui inquiunt lumen ſolùm requiri ex parte medij, non ex parte obiecti: quæ opinio confirmatur. Primò ex definitione coloris tradita ab Ariſtotele, dicitur enim mouere perſpicuum quod actu eſt, perſpicuum eſt actu per lumen: Secundò ex proprietate coloris, nam color per ſe viſilis eſt, quare ex parte ſui non exposcit lumen, vt videatur; ideo inquit D. Thomas, omnis forma habet facultatem formandi ſubiectum: Tertiò ex definitione luminis, nam lumen dicitur actus perſpicui: Demum ex alijs ſenſilibus, quæ vt agant & moueant, alio non egent. Quare lumen non ex parte colorum, ſed ex parte medij eſt neceſſarium.

Margin notes: Secūdum — Auerrois, & latinorū opinio. — Prima ratio. — Secunda. — Tertia. — Quarta.

Diſ-

Diſſolutio difficultatis. *Cap. IIII.*

QVONIAM dum loquimur de attinentibus ad ſenſus, rationi quidem adhibenda eſt fides, præſertim tamē ſenſibus eſt credendum: propterea ut de propoſita difficultate vnà cū ſenſu & cum ratione loquamur, aſſerendum cenſeo lumen requiri ob tria pro viſu neceſſaria, nempe ob medium inſtrumentum, obiectum, adeò ut iurè à Platone nuncupetur lumen eorum trium admirabile iugum. Vt autem hęc ſententia reddatur conſpicua, de ſingulis eius partibus ſigillatim eſt agendum. Aſſero primò lumen requiri ex parte obiecti: ratio pręcipua eſt, quia color eſt forma in materia, & ex ſe ut non habet eſſe ſine materia, ita non ualet operari, quare ut ſine materia agat requiritur lumen. Hoc ipſum experientia docet: manifeſtè conſpicimus, quouſque lumen non attigerit obiectum, à nobis non poſſe conſpici; ſtatim uerò quòd obiectum attigerit, ſub ſenſum cadit: propterea & Teophraſtus & Simplicius rectè exiſtimarunt lumen requiri ex parte obiecti. Idipſum putaſſe Ariſtotelem colligitur ex 18. cont. 3. de Anima, dum dixit intellectum agentem omnia facere perinde ac lumen, nam lumen quoque quodammodo facit eos, qui ſunt potentia colores, actu colores, &cæt. Manifeſtiſſimè aſſerit Ariſt. lumen requiri ex parte obiecti, & colorum; nam intellectus agens dicitur ſimilis lumini, non quia illuſtret medium aliquod ſed quia phantaſmata illuſtrat, quæ colori proportione reſpōdēt. Nec ſatisfacit euaſio Auerrois in 2. de Anima 67. ubi inquit quòd inducitur gratia exempli, de quo ſola requiritur manifeſtatio: nam ſi requiritur manifeſtatio, neceſſe eſt quatenus pertinet

Lumen ob tria requiri.

Lumen requiritur cauſa obiecti.

ad rem, de qua loquimur, vt ei reſpondeat; alioquin eſſet deceptio, non manifeſtatio. Præterea conſidero ſententiam Ariſt. in 2. de Anima 86. dum inquit; vt enim colores ſine lumine non cernuntur, ita nec acutum & graue ſine ſono: Addo ego ſonum requiri non ex parte medij, ſed ex parte acuti & grauis, vt percipiantur: quare etiam lumen ex parte obiecti neceſſarium eſt. At perpendamus, quid obiecto tribuat lumen, num fortè ei tribuat formam, quia colores in tenebris ſolùm ſint potentia, ut cenſuit Auempaces, & cum eo Auicennas. Ad hoc dico lumen tribuere coloribus non actum primum & formam abſolutè, per quam ſint, ſed ſolum actum quendam ſpiritalem, per quem ualeant ſine materia mouere. Confert lumen pro actu ſecundo colorum, at non pro primo. Et dum quæritur, num colores in tenebris ſint actu colores, reſpondeo nō eſſe actu per id ſpiritale requiſitum pro actu ſecundo: ſed eſſe actu ratione ſuæ formæ, qui actus primus eſt diſtinctus à lumine: qui primus actus coloris eſt qualitas de tertia ſpecie ex temperamento ſui ſubiecti conſurgens. Sic itaque opinio Lucretij, Auicennæ, & Auempacis vera eſt in parte, abſolutè tamen eſt falſa; falluntur enim, cum abſolutè cenſeant colores à lumine recipere formam. Et dum id probant exemplo colorum iridis, & ſimilium; reſpondeo colores eſſe duplices, nonnulli non ſunt ſpecie diſtincti à luce, & huiuſmodi ſunt colores, qui apparent in nubibus: qui varij apparent ob varietatem diſtantiæ, poſitionis, ac denſitatis nubis, inſuper ob maiorem vel minorem intentionem luminis, & ſimilia; hi nil firmi & permanentis habent: alij ſunt colores mixtorum ſpecie diſtincti à lumine, qui ſemper ijdem apparent; primi in tenebris non inueniuntur, niſi potentia: alij inueniuntur actu. Aberrant igitur illi, cum

Lumē propter quid reqratur cauſa obiecti.

Colores ī tenebris nunqd ſint actu colores.

Auēpacis & aliorum opinio partim vera partim falſa.

Solutio fundamentorum Auempacis.

tranſeant ex vno genere colorum in aliud. Ad confirmationem, quia obiectum debet eſſe vnum; iam patet reſponſio ex dictis de obiecto viſus. At inſurgit Auerroes contra hanc ſententiam: quia ſi lumen requiritur ex parte colorum, ergo colores non ſunt per ſe viſiles in 2. modo dicendi per ſe; Ariſtot. autem dixit per ſe viſiles eſſe. Hæc inſtantia leuis eſt, nam affertur ab Auerroe contra Auempacem. At diceret Auempaces id eſſe verum de colore, qui actu eſt color, ille eſt per ſe viſilis, non de eo qui eſt potentia. Sed quicquid ſit de Auempace, ea auctoritas mihi non aduerſatur, quoniam aſſero colores à lumine non recipere formam, quæ moueat, & quæ conſpiciatur, habent enim eam ex ſe, ob quam ſunt per ſe viſiles, ſed recipere facultatem & vires, per quas valeant modo incorporeo & ſine materia mouere; ſic reddit eos, qui ſunt potentia colores, actu colores, vt dixit Ariſtoteles in 3. de Anima 18. & id competit, colori, quia maximè lumini eſt affinis, vt per corporis opacitatem eſt obſcuratus, ideo à lumine quaſi ſpiritum, & poſtremam recipit perfectionem, vt videatur. Et dum inſtabatur, quia cætera ſenſilia nullo egent, vt ſenſum moueant: reſpondeo id euenire, quoniam ſolùm mouent modo corporeo, & cum materia, color verò mouet ſpiritaliter. Colligamus itaque colores in tenebris actu eſſe colores, at eſſe uiſiles poteſtate, non quidem proxima, ſed remota, ut explicatum eſt.

Margin notes: Solutio ſecunda fundaméti Auempacis. — Inſtantia. — Solutio.

ratum dicatur eſſe ſubiectum luminis, & tenebrarum. Sic itaque color mouet perſpicuum actu, at perſpicuum ex eo ſolum dicitur actu, quia coloratum eſt illuſtratum. Quæ ſententia Ariſtoteli, ſenſui, & rationi aduerſatur. Ariſtoteli, quia inquit lumen eſſe actum perſpicui, & eſſe veluti alienum eius colorem; actus autem eſt in eo, cuius eſt actus; quare lumen præſertim in medio perſpicuo eſt, non in colorato: & ſi præſertim eſſet in colorato, perperam ab Ariſtot. definiretur, dum in definitione pro ſubiecto perſpicuum accipit. Præterea ſententia aduerſatur rationi, quia nil tranſit ad extremum niſi per medium, oportet itaque vt lumen etiam in medio ſit, & potius in obiecto per medium, quàm è contra. Demum aduerſatur ſenſui, quoniam lumen in medio conſpicua opera efficit, attenuat aerem diſſoluit aquam in vapores, calefacit, quod non efficeret niſi in eis quoq; reciperetur. Colligamus itaque lumen eſſe neceſſarium, nedum ratione obiecti, verùm etiam ratione medij. Ad argumentum Auempacis ſupra relatum, dum oſtendebat non requiri pro medio, quia colores ſunt lumina quædam, ideo medium receptu- rum actiones colorum quaſi luminum, lumine carere debet: rectè reſpondet Auerroes, aſſerens eſſe falſum quòd colores ſint lumina; varia enim eorum ſunt principia, generatio, natura, & definitio. Verùm adhuc remanet dubitatio quędam, quia ſupra dictum eſt lumen conducere colori vt moueat, & ei tribuere modo quodam poſtremam perfectionem: at ſi requiritur pro motione, non debet requiri pro receptione, cum de ratione vnius ſit forma & actus, de ratiône alterius potentia & priuatio. Ad hoc dico lumen eſſe veluti medium, per quod colores reſpicimus, vt rectè aſſeruit Plato in 6. de Repub. propterea requiritur ex parte vtriuſque; &

Solutio fundamenti Auempacis.

Inſtantia.

Solutio.

cum

ſtatim oculos aperit,nō rectè videat,niſi poſtquam oculus eius fuerit illuminatus,& accidit viſui,vt videat rem viſione ſpiritali intrinſecus, antequā videat eam extrinſecus. Hæc Auerroes, quem ſequitur etiam ſubtilis Scotus in 2.Sent.diſt.13. Quæ ſententia dubia eſt: primò ob experientiam,nam in tenebris collocati rem illuſtratam conſpicimus,& frequenter impedimenta adhibemus,ne lumen perueniat ad oculos: ſecundò ob verba Ariſtotelis, qui inquit hominem in profundo puteo collocatum etiam inter diu poſſe videre ſtellas. Fundamenta Auerrois leuia ſunt: Ad primum dico oculum in tenebris collocatum optimè videre, dummodo obiectum ſit illuſtratum: Ad aliud dico, dum ſtatim oculos aperimus, non exactè videre, quoniam non exactè niſi poſt conuenientem quietem recipitur actio colorum in oculo. Propterea aſſerendum cenſeo,lumen neceſſarium ex parte oculorum,eſſe proprium non alienum, quòd ex naturali eorum diſpoſitione & ex ſpiritibus ortum ducit, quod proprium lumen ab externo frequenter turbatur & læditur; ideo oculus tenebris circumfuſus, cum minore læſione, & acutius conſpicit. Inde euenit quòd animalia,quorum oculi apprimè lucent,noctu melius conſpiciunt quàm inter diu: quoniam lumen id proprium ab externo non diſperditur, ac inſuper valet conuenienter mediū & obiectum illuſtrare, adeò vt etiam externi luminis munera obeat,vt patet de fele, & noctua. Quòd ſi etiam aſſerere volumus pro viſione requiri, vt lumen externum in oculo recipiatur, id nil aliud eſſe putādum eſt, niſi actionem rei viſibilis, non autem ſpeciem luminis diſtinctam à ſpecie rei viſibilis. Ex his quoque colligere valemus concilium Ariſtotelis cum Platone de inſtrumento viſus, quod ex opinione Ariſtotelis à prædominante eſt aqueum,ex opinione Pythagoræ & Platonis eſt igneum:

Opinio Auerrois dubia.

Solutio fundamentorum Auerrois.

Opinio propria.

Cōciliatio Ariſtotelis cum Platone de inſtrumento uiſus.

T nam

nam vel conſideramus partem, quæ materiæ vices in oculo obtinet, & cuius munus eſt recipere & pati, quam reſpexit Ariſt. qua conſideratione cum eo dicendum eſt eſſe aqueum, perforato enim oculo plurimum aquæ effluit: vel reſpicimus partem magis obtinentem locum formæ & perfectionis, quam unà cum Pithagora conſiderauit Plato, & tunc dicendum eſt eſſe igneum; multis enim puriſq; ſpiritibus refertus eſt oculus, vt optimè cum Platone dixit Galenus in 10. de uſu partium. Non itaque iniuria Plato in Timæo dixit oculum ratione luminis eſſe igneum, & in 6. de Repub. ob eandem cauſam illum ſolarem nuncupauit. Sed iurè quis quæret, cum Plato & Ariſtoteles hac de re non diſſentiant, vnde oritur quòd tam vario loquuntur modo? Ad hoc reſpondendum cenſeo id euenire ex varia eorum ſententia de modo, quo videmus: cenſuit Plato viſionem fieri per emisſionem radiorum, ideo naturam eorum debuit reſpicere: Ariſtoteles è contra cenſuit viſionem fieri per receptionem & paſſionem oculorum, ideo iurè id reſpexit, quod præſertim recipit & patitur, huiuſmodi eſt corpus aqueum.

Inſtantia.

Reſponſio

De modo quo uidemus opiniones uariæ.
Cap. VII.

QVONIAM de modo facta eſt mentio quo videmus, qua de re opiniones ſunt ſatis uariæ, & pugnantes, propterea vt veritas aliqua ex parte elucescat, de re hac cognitu maxime digna, vtile eſt verba facere. Quinque autem ſunt præſertim, quæ mihi videntur explicationem expoſce-

poſcere, & in quibus verſari opere precium cenſui. Occurrunt primo virorum ſapientum opiniones variæ. Reijciendæ ſecundo illæ ſunt, quæ minus veræ videntur. Tertio loco opinio verior eſt approbanda. Diluendæ quarto rationes aduerſæ, Demum an Ariſtoteles cũ Platone conciliari poſſit eſt conſiderandum. Variæ de modo quo videmus illuſtrium Philoſophorum circumferuntur ſententiæ, omnes tamen in tria prima capita rediguntur. Animalia enim uel vident per ſolam radiorum ex oculis emiſſionem, vel per ſolam ſpecierum, ſiue actionum obiecti uiſus, in oculo receptionem. Vel demum per conſpirationem emiſſionis radiorum, & receptionis ſpecierum viſilium. Primæ opinionis eſt Hipparchus. Macrobius. Proclus, & plurimi perſpectiuorum, qui tamen diſſentiunt inter ſe; nam Hipparchus Nicæus, & cum eo multi ex perſpectiuis putarunt radios extendi vſque ad viſibile, quantumuis diſtans. Macrobius in primo de ſomnio Scipionis cap. 15. & in ſeptimo Saturnalium effundi cenſuit per centum, & octuaginta ſtadia; diſtantiora autem uideri dixit, quatenus ea ſe radijs offerunt. Proclus cenſuit diametrum orizontis radiorum ex oculis prodeuntium eſſe duorum milliũ ſtadiorum. Simplicius ſecundo cœli com. 9. dixit, nos à decem ſtadijs non uidere, niſi eleuata ſint. Horum ſententiam referens Ariſtoteles in libro de ſenſu, & ſenſili dixit, radios ex aliorum ſententia extendi, uel uſque ad cœlum, uel quodam tenus. Alterius opinionis, eius nempe quod animalia videant per receptionem in oculo factam, & oculi perpeſſionem, fuere Democritus, Leucippus, Ariſtoteles, & Epicurus, qui tamen inter ſe diſſenſerunt. Ariſtoteles cenſuit id fieri per ſolam actionem ſpiritalem obiecti, delatam per medium perſpicuum uſque ad oculum; Cæteri uero dixere id fieri

Quinque proponuntur cõſideranda.

Tria capita opinionum.

Opinio prima.

Opinio ſecunda.

per defluxum ſimulacrorum, quaſi exuuiarum rei uiſibi-
Opinio tertia. lis, per poros medij tranſeuntium. Tertiæ opinionis quod ad uidendi actum ambo ea conſpirent, emiſſio ſcilicet radiorum, & receptio actionis viſibilium, fuere Empedocles, Plato, Galenus, & Stoici, qui etiam non penitus conſenſerunt, nam Pythagoras, & cum eo Stoici referente Galeno dixere prodire radios ex oculis, & quaſi virgas extendi ad obiectum, ab eo figurari, ac ita figuratos redire in oculum; & uideri, quam ſententiam Galenus reijcit. Opinio autem à Galeno approbata, ut conſtat ex ſeptimo de placitis cap. 5. ex. x. libro de uſu partium eſt, quod per neruos opticos uiſui inſeruientes perforatos prodeunt ſpiritus, per quos oculus fulgeat, & ad ambientem aerem perinde ſe habeat ac ſol, quo aer externus illuminatur; & quoniam lumen illud ex oculo prodiens pendet ex ſpiritu, in quo ineſt ius videndi, ideo ipſum quoque facultate uidendi præditum eſt; quod cum attingat viſibile externum per facultatem uidendi ſibi inſitam, iudicat illud, ita tamen ut à re quoque viſili prodeat actio, qua lumen id mouetur, patitur, ac formatur, quam motionem, & perpeſſionem ſequitur deinde iudicium, quod actio eſt facultatis ſentientis, ita res quę inſpicitur ibi uidetur ubi eſt, & ꝓpterea iudicare ualemus poſitionē, ſpatiū, diſtātiā, magnitudinē, & figurā rerū, quod minime accideret ſi in ſolo oculo videremus. Verba Galeni ex quibus relata ſententia manifeſtiſſimè elicitur, ne longior ſim miſſa facio. Plato ſecus cenſuit actum videndi perfici, nā in Timeo hæc ſcripta reliquit. Sed ex omnibus faciei partibus, primi luciferi, oculorum orbes coruſcant, hac cauſa dati, ignis certè illius, qui non vrit quidem, ſed illuminando ſuauiter diem inuehit Mundo, participes oculorum orbes Dij fecerunt, intimum ſiquidem noſtri corporis

Galeni ſententia.

Sententia Platonis.

poris ignem,huius ignis germanum; ſincerumque per oculos emanare voluerunt in quibus lenis, congeſtuſque vbique ignis huiuſmodi ſit ſed per eorum dumtaxat ſolidiorem anguſtamque medietatem,ignis purior euolet, craſſior verò cohibeatur,itaque cum diurnum lumen applicat ſe radio viſus,tunc ea duo inter ſe ſimilia concurrentia, atque commixta, quò oculorum acies diriguntur, ibi in vnius iam domeſtici corporis coherent ſpeciem, vbicunque videlicet tam intimi, quam externi luminis fit concurſus:totum igitur hoc propter ſimilitudinem paſſionem eandem ſortitum, cum quid aliud tangit vel ipſum ab alio tangitur,motum huiuſmodi ad corpus omne,perque id ad animam vſque diffundens ſenſum efficit,qui viſus vocatur, at poſtquam in noctem diſceſſerit cognatus ignis viſionis radius euaneſcit vi.Hęc Plato ex quibus elicitur præſertim, eius de modo videndi ſententia. Ait itaque Plato,& cum eo Academici omnes, ex oculo radios, & lumen prodire, qua de re Galenus cum eo conſentit; Ait mox, rem quoque viſilem agere, ſuique imaginem imprimere; hinc vna cum Empedocle ait in Menone, colorem eſſe defluxum rerum, viſui congruentium, et in Timeo dixit, lumen tangere rem viſilem, & tangi, qua de re etiam Galenus cum eo conſentit; diſſentit verò quia Plato minime cenſet prodire facultatem videndi,nec rem videri extrinſecus vbi eſt, ſed in oculo; ideo dixit,quod motus à ſenſili factus, cum ad corpus,& per id ad animam peruenerit ſenſum efficit, vt conſtat per verba relata.Ex ſententia itaque Platonis lumen ex oculo prodit,nectitur cum externo lumine, mox id connexum formatur, & mouetur à re viſibili, motio ea attingit oculum, ibi redditur à facultate oculi formante ſpiritalior, quæ mox iuncta cum facultate vtente per rationem facultati inſertam, rei viſili reſpon-

dentem

dentem iudicatur & hæc ſatis de opinionum varietate.

Reijciuntur ſententiæ minus approbandæ. *Cap. VIII.*

Reijcitur ſententia Galeni.

DISSENSIO virorum ſapientum, eſt conſpicuum inditium difficultatis rerum. Ex opinionibus relatis, ea Galeni ſatis apertè cùm verò pugnare videtur minime enim rationi conſonum eſt facultatem videndi egredi ex oculo, effundi per medium eoque loci rem videre vbi eſt. Nam ſi id eſſet, ſequeretur primo aerem illum intermedium eſſe animatum, quoniam ex eius ſententia in libro quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, facultas animæ ab eſſentia animæ diſtincta non eſt. Sequeretur deinde eundem aerem per quem ſimul varij homines, & iumenta vident, varijs animis ſimul eſſe præditum. Sequeretur tertio, quod oculi fulgentiores cum lucem edant uberiorem, exactius viderent, quod experiẽtiæ aduerſetur. Sequeretur demũ mediũ videre, & pro ximè videre, animal autem non proxime videre, ſed per medium, & in medio. Ommitto varia quæ afferre longum eſſet. Propterea iure Plotinus Eneade quarta, libro quinto, cap. 3. huiuſmodi ſententiam paruipendit, & reijcit.

An ex oculo prodeãt radij.

At cum ex oculis non prodeat vis videndi, perpendamus an prodeant radij, per quos videamus, vt multos cenſuiſſe aſſertum eſt. Profectò hoc quoque renuendum videtur, nam radij prodeuntes, vel ſunt corpora, vt aiunt nonnulli, vel incorporei, ut inquiunt alij. Dicere quod ſint corpora abſurdum eſt, daretur

enim

enim penetratio corporum, & medium per quod videmus, dum per illud multa animalia uident, redderetur denſius; nec conſentaneum rationi eſt, illud corpus primo in exiguo oculo incluſum, mox egredi, & momento per magnum ſpatium extendi. Si dicitur radios non eſſe corpora, ſed actus lucidi corporis ex oculo prodeuntes, hoc quoque approbandum non uidetur, cur enim non inſpiceremus oculos noctu lucere? at reſpondet Plato eos quaſi ignes aduerſis tenebris extingui: verum hoc aduerſatur experientiæ, lumen enim exiguum in tenebris magis lucet, ideo multa prædita luce exigua, ut ſquammæ piſcium, quercus putrida & ſimilia in ſolis tenebris fulgent. Præterea ſi noctu, & in tenebris radius oculorum extinguitur, homines in profundo putei conſtituti, nedum interdiu non uiderent ſtellas quas tamen vident, ut aſſerit Ariſtoteles in quinto de generatione animalium cap. primo, uerum etiam nunquam dum ipſi eſſent in tenebris poſſent uidere obiecta in luce poſita, extinguerentur enim oculorum radij ab ambientibus tenebris. Inſuper uel radij oculorum extenduntur vſque ad viſilia, ut aiunt nonnulli, uel ſolum quodamtenus vt inquiunt alij; primum fieri nequit, non enim noctu oculus exiguus ualet medium illuſtrare uſque in cœlum, cum hoc nec magna quæuis fax efficere ualeat. Si quodam tenus, igitur ſi diſtantiora uident, mox à uiſilibus patientur, quare longe magis patientur in oculo quam uis non exeant, ille igitur exitus, nec vſum præbet, nec eſt neceſſarius. Præterea in rerum ordine nil redundans reperitur, & nil fit per plura, ſi per pauciora valet abſolui, & Plato, & Academici, nec non cum eis Galenus fatentur uiſilia edere actionem, & quaſi ſpeciem, & imaginem ſui, & ſpiritaliter operari, quare inanis pro actu uidendi eſt emiſſio radiorum. His accedit quod aſſe-

rentes

rentes ex oculis prodire radios, quos igneos nuncupant Academici, etiam aſſerunt radiorum cuſpidem in oculo eſſe poſitam, baſim verò eſſe rem viſilem, quod experientię aduerſatur, nam prodeuntia ex aliquo continenter minuuntur, & ignea in piramidem deſinunt. Non itaque eſt dicendum animalia videre per exitum radiorum; & præſertim quia Platonici aiunt Dęmones videre, & audire per omnē partē ſui vehiculi, cū tamen ex uehiculis eorum, radij non prodeant. Hæc omnia confirmantur conſiderando oculos piſcium, & cancrorum, qui cum ſatis fulgeant, tamen quia duri ſunt deterius patiuntur, egreque actiones ſenſilium recipiunt, obſcurè ſentiunt, vt aſſeruit Ariſtoteles in ſecundo de anima. 93.

Viſionem fieri per receptionem actionum obiecti. Cap. IX.

Reijcitur defluxio corporea.

CVMVLATE ſatis ex his quæ dicta ſunt conſtare cenſeo animalis nequaquam videre radios emittendo, ex quo colligendum eſt ea id facere recipiendo aliquid, quæ receptio triplex ex cogitari poteſt, vel alicuius corporei defluxus, vel imaginis rei viſilis, vel actionis alicuius eiuſdem viſilis; exiſtimare id fieri per corporeos defluxus ex re viſibili, quæ ad oculos deferatur, ut vna cum Democrito, & Leucippo exiſtimarunt Epicurus & Lucretius penitus eſt abſurdum, non enim poteſt materiatum aliquid, & corporeū ex aliquo fluere ſine diminutione eius à quo fluit; at viſilia dum videntur non minuuntur, inſuper non momento ad oculos deferrentūr, à uēto impedirentur, in medio contraria viſilia inter ſe pugnarent, quę minimè inſpicimus

mus accidere. Simili modo exiſtimandum non eſt à re viſibili manere propriè ſumptam ſpeciem, & ſimulacrum, ea enim ab actu videndi non diſtinguitur, cum ſenſus, & rei ſenſilis idem ſit actus vt dicitur ab Ariſtotele in ſecundo de anima: Nam ſpecies rei viſilis propriè ſumpta eſt actus ſentiendi, quo actu ſenſus fit ſimilis rei ſenſili, & iudicās dicitur recipere ſpeciem rei ſine materia. Quare colligendum eſt ex re viſili prodire actionem ſpiritalem emiſſam virtute luminis, à qua oculus mouetur, & ſua videndi facultate actionem iudicat, adeo vt eius motio, & perpeſſio, in actionem, quæ iudicium eſt deſinat. Hæc fuit ſententia Ariſtotelis exactè explicata in libro de ſenſu, & ſenſili, quamuis in libris meteorum, & problematum nonnunquam ex aliorum opinione dicat, viſionem fieri per radiorum emiſſionem; quæ opinio varijs poſſet cum rationibus, tum experimentis comprobari, & ea ratio profecto magni ponderis, & momenti eſt, quia nulla in homine reperitur cognoſcendi facultas, quæ primo ab obiecto non moueatur, & excitetur, hoc de cœteris externis ſenſibus eſt conſpicuum; ſimiliter ſenſus communis mouetur per externos, phantaſia per ſenſum comunem, et demum mens per phātaſmata excitatur, quarę id quod conſenſione omnium competit cęteris facultatibus cognoſcentibus, de ſenſu viſu inficiari non debemus; & præſertim quia à ratione ſummopere alienum eſt, ſenſum viſus cęterorum eminentisſimum ſibi obiecta mendicare, non autem ea, ſponte ſe illi offerre. Quod confirmatur, quia obiecta, quorum ferendum eſt iudicium, ſe ſua conditione debent offerre iudici, non autem è contra iudex debet per naturam ſe rei iudicandæ offerre, hoc enim longe abeſt à conditione iudicis. Et quia recipiendo, & patiendo videmus, inde oritur quod uehemens ſenſile oculos ledit, & labefactat, quod non ef-

Reijcitur emiſſio ſimulacrorum.

Cōceditur emiſſio actionis.

ficeret niſi in oculos ageret. Simili ratione aſpicilia illis conferunt qui diminute vident, nam per aſpicilia actiones viſilium diſtinctiores oculis offerũtur, & minus eos ledere valent. Nec propterea inficiari debemus ex oculis animalium lucidis, aliquid lucis prodire, apertè enim ex oculis noctuę felis, & ſimilium lumen prodit, & ob id animalia nonnulla inſpiciendo ledunt, vt de baſiliſco legitur, prodeunt enim ex illis ſpiritus venenoſi, qui aerẽ inficiunt, & fęmina dum menſtrua emittit inſpiciens in ſpeculum illud inficit, & fędat, vt aſſerit Ariſtoteles in libro de ſomnijs. Legitur de Tiberio Cęſare, & D. Auguſtino oculis adeo fulgentibus fuiſſe præditos, vt qui eos inſpicerent cogerẽtur faciem auertere; Poteſt itaque ex oculis apprime lucidis prodire nedum fulgor, verum inſuper ſpiritus aliquis, at per id non fit viſio, nec eſt aliquid neceſſarium vt videamus; ſed oculo per naturam, tantum interni luminis competere debet, quantum ſit ſatis pro eius congruente diſpòſitione, vt exactius recipere valeat; ideo Ariſt. in libro de ſenſu, & ſenſili cont. 9. ſecundum ſectionem Alexandri dixit, Aſpectum æque lumen intus, & extra deſiderare vt cernere valeamus.

Quomodo concedatur exitus radiorum.

Dubia nonnulla proponuntur & diluuntur. Cap. X.

VT veritas clarior eluceſcat, nonnulla dubia proponenda, & diluenda occurrunt, nam aduerſus approbatam Ariſtotelis ſententiam varij viri ſapientes inſurgunt, & eam pro viribus euertere nituntur, & præſertim Galenus 7. de placitis Hippocratis, & Platonis. Macrobius 7. Saturnalium Plotinus Eneade. 4. libro 6. & alij; ego tamen

pauca,

pauca,ſed potiora referam,ex quorum ſolutionibus ſolutiones cęterorum eluceſcent. Argumentatur Galenus 7.de placitis cap.5.ratione ſumpta à ſenſilibus communibus; ſi enim viſio per reciptionem fieret, minime magnitudinem rei viſilis iudicare poſſemus, non enim vaſta rei moles, in anguſto pupillæ meatu recipi poſſet. Inſuper diſtantiam,figuram, & ſitum minime iudicaremus, niſi rem ibi inſpiceremus vbi reperitur. Inſuper tunc non viſilia,ſed eorum vmbras,& actiones cerneremus.Præterea non eſſet neceſſarium,vt videremus, oculorum aciem in rem viſilem dirigere, ſat enim eſſet oculos aperire, ita enim viſilia eos mouerent, non ſecus ac ſoni mouent aures.Præterea perpesſio iudicium turbat, ideo vt exactius videamus, ꝓpeſſio omnis abeſſe debet. Demum etiam ea videre poſſemus,quæ poſt terga eſſent poſita, quoniam per aerem ante oculos circumfuſim effunderent ſuas actiones, quas perinde videremus, ac audimus ſonos poſt terga productos: cętera his ſimilia miſſa facio. Hæc cum in partem dubiam approbatam ſententiam reddere videantur,non propterea tanti ſunt roboris,vt ob ea ſententiam mutare debeamus.Nam,à primo incipiens,dicebatur,ſi recipiendo videremus,magnitudinem,diſtantiam,figuram,& ſitum iudicare non poſſemus. Reſpondeo ſenſibilia propria eſſe ea, quæ primo in inſtrumenta ſenſuum operantur, & vna cum eis operantur comunia, & quemadmodum actiones ſpiritales contrariorum ſunt in medio ſeorſum à contrarietate, ita operatio ſpiritalis partium magnitudinis, ſine extenſione per illud defertur,nam quod eſt,ſpiritale eſt totùm ſimul, dum igitur ſimul uariæ partes rei ſenſilis operantur;quo fuerunt plures,eo magis,ſimul tamen,multiplicant ſuas actiones, & maiorem extenſionem indiuiduè ſenſui offerunt.Non itaque rectè dicitur ſi viſio fieret cũ

Inſtantia prima.

Inſtantia ſeconda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Solutio primę diffi cultatus.

receptione, nos nō poſſe iudicare magnitudinem, & alia, nam vnà cum proprijs ſenſilibus operantur, & comunia; at ita ſimul, & propriorum, & communium valemus iudicium tradere. Et hoc ex eo conſtat, quia communia ſenſilia nedum viſu, ſed etiam cęteris ſenſibus iudicamus, cum tamen cęteri ſenſus ſolum recipiendo iudicét.

Solutio Secundæ. Ita quoque ſenſu viſus iudicamus diſtantiam, non quia radij ex oculo, vel vis videndi prodeant, non enim ſui emisſione, & curſu diſtantiam menſurant. Quod confirmatur accommodatisſimo exemplo pictorum, qui dum foueam, vel diſtantiam repreſentare pingendo cupiunt vtuntur colore nigro, dum vero eminentiam, & proximius aliquid volunt patefacere, vtuntur colore albo, & clariore, & cum partes illæ coloratæ ęquè diſtent, tamen ob ſolam colorum varietatem, nigriora magis, quam clariora diſtare videntur. Præterea multarum rerum maiorem, vel minorem diſtantiam iudicare non valemus, vt conuerſi in cœlum planetas, & ſtellas octauæ ſpheræ iudicamus equè diſtare, quod non accideret ſi diſtantiam iudicaremus per exitum radiorum, ut cum eam recipiendo iudicemus, quoniam remota, & proxima eo ordine mouent oculos, quo ſunt diſpoſita, ideo ea intermedia eorumq́ue ſeriem iudicantes, percipimus diſtantiam, & dum intermedia non mouent ſenſum, imperfectè, & obſcurè diſtantiam iudicamus; inde oritur, quod in planis, minus quam in montium varietate diſtantiam iudicare valemus. Pręterea diſtantiam etiam iudicamus quatenus percipimus ſenſilia, vel leuius, vel vehementius ſenſum mouere & hoc de ſono conſpicuū eſt, ideo dum voce diſtantem imitari volumus, vocem minuimus, & acuimus. Addebatur quod tunc non viſile

Solutio tertiæ. inſpiceremus ſed eius imaginem. Reſpondeo, actionem rei ſenſilis non eſſe eam, quæ vt obiectum ſentitur,

tur,

 56

tur, ſed eſſe eam per quam ſenſus iudicat obiectum, & hoc non eſt aliquid proprium oculi; ſed commune omnium facultatum cognoſcentium. Inſuper dicebatur, quòd non eſſet neceſſarium aciem oculorum in rem viſilem conuertere. Reſpondeo id neceſſarium eſſe, non ob radios qui ex oculo prodeunt, ſed quia ea quæ ſpiritaliter operantur ſolum directè tendunt, & mouent aliquid. Hoc non ſimiliter ſeruatur in cęteris ſenſibus, quoniam (vt cenſeo) non ſpiritaliter tantùm ab obiecto mouentur. Confert etiam directio oculi in rem viſilem vt in exiguo plano, quod in humore chriſtallino reperitur, exactius actio rei uiſilis recipiatur. Dicebatur etiã quod perpeſſio turbat iudicium. Reſpondeo, perpeſſio nimium vehemens turbat, ideo excellens ſenſile labefactat ſenſum, at moderata non turbat, ſed excitat, imprimit, & neceſſaria eſt ut iudicetur. Addebatur poſtremo, quod tunc ea videre poſſemus, quæ poſt terga eſſent collocata. cui reſpondens, dico id non accidere quoniã vt iam aſſerui, ea quæ ſpiritaliter agunt, tantùm directè operantur, & feriunt, nam ſolum directè per medium feruntur, non autem in eo tanquam in ſubiecto propagantur quemadmodũ materiatę formę. Ex his etiã multarum aliarum difficultatũ poſſunt ſolutiones elici.

Solutio quartæ.

Solutio quintæ.

Cur res una dum inſpicitur non appareant duæ. Cap. X I.

DVBITATIO occurrit conſideratione digna, ſi viſio fit per receptionem, unde oritur quod cum duobus præditi ſimus oculis, & actio rei vnius in duobus oculis recipiatur, quod res una non iudicentur duæ, ſed una tantum? Hoc

D.Thomę Auicennæ & Alberti opinio.

enim cum ratione ſatis conſpicuè pugnare uidetur. Res hæc cum ſit dubia à varijs vario modo explicatur. Auicenna in ſexto naturalium, quem ſequitur Albertus in ſecundo de anima 33.& utrumque ſequitur D.Th. Inquiunt rem unam non uideri duas munere neruorum uiſui inſeruientium, qui ὀπτικοὶ nuncupantur, illi enim cum in medio eorum curſu connectantur, per connexionem faciunt ut res vna, tantum vna iudicetur. Quæ ſolutio

Horum opinio refutatur.

vera non eſt. Primo qui a uiſile non in ea neruorum connexione, ſed in oculo iudicatur. Præterea cum duabus auribus ſimus prædíti, & nerui ad eas tendentes non connectantur non propterea uox vna iudicantur duæ. Propterea minus rectè Galenum quoque ſentire cenſeo, qui in 10.de uſu partium cap.14.hanc dixit eſſe rationem unã eius cõnexionis neruorum, ut ſcilicet res una iudicaretur vna & non duæ. Sed ueriorem cenſeo rationem alteram ab eodem Galeno additam, quæ eſt id fuiſſe factum, ut uno oculo clauſo, uis uidendi tranſiret in alterum, ac ita potentior redderetur. Principalem itaque difficultatem diluens, rem unam iure, non duas, ſed vnam duobus oculis iudicari cenſendum eſt, quia iudi-

Iudicia per plura instrumenta confirmant, non turbãt notitiam numeri obiectorum.

cans eſt animal cuius uis uidendi in corde iuncta eſt, & utitur duobus oculis tanquam inſtrumentis proximis, per quos geminatur iudicium eiuſdem rei, & ſi centum haberet oculos, ut de Argo fingitur iudicans per ſingulos, conſtanter rem eſſe unam iudicaret, vt uocem eſſe vnam geminis auribus percipimus; ſunt enim hæc tanquam geminata iudicia eiuſdem rei.

An

An Ariſtoteles cum Platone de modo uidendi conciliari poſſit. Cap. XII.

OCCVRREBAT vltimo loco conſiderandum, an Ariſtoteles cum Platone conciliari poſſit; exiſtimant enim multi viri præclari, litem in ſolis verbis eſſe poſitam, de ſententia nullam eſſe controuerſiam, qua de re breuibus referens quod ſentio. Dico primo, Ariſtotelem, cum varijs perſpectiuorum aſſerentium animalia videre per ſolam radiorum emiſſionem vſque ad rem viſilem, minime conciliari poſſe, aperte enim inter ſe diſſentiunt. Dico ſecundo Galenum, & à Platone & ab Ariſtotele manifeſte diſſentire, nemo enim eorum cenſet, prodire ex oculo facultatem videndi ac ibi rem uideri vbi eſt. Addo tertio Ariſtotelem cũ Platone de plurimis conſentire, & in attinentibus ad modum videndi non magnam eſſe differentiam. Quòd vt exactius percipiamus conſiderandum eſt, recentiorum nonnullos aſſerere eos omni ex parte eſſe concordes, modum verò explicantes, inquiunt, cum Platonem, tum Ariſtotelem putaſſe Animalia videre per emiſſionem radiorum. De Platone id eſt conſpicuum. De Ariſtotele id colligitur ex tertio metheorum, ex libris problematum, præſertim ex lib. 31. prob. 15. & 16. At hi luce clarius aberrant. De Platone conſpicuum eſt ipſum aſſerere nos videre emittendo radios, at ex ſententia Ariſtotelis hoc affirmare non valemus, nam locus proprius huius conſiderationis eſt liber de ſenſu, & ſenſili, quo in loco ex ſententia affirmat, & oſtendit, nos videre non emittendo radios, ſed accipiendo actiones viſilium, ac inſuper eos damnat qui per emiſſionem

Quõ Ariſtoteles à perſpectiuis diſſentiat.

Gal. diſſentit, & à Platone, & ab Ariſtotele

Cõcilium quorundã eijcitur.

nos

nos videre affirmant. Ideo Alexander & potiores omnes interpretes Ariſtotelis de hoc conſentiunt, quod putauit nos videre recipiendo, nam apertiſſime de omni ſenſu in ſecundo de anima enunciauit quod conſiſtunt in quodam pati. Propterea alij (ut doctiſſimus Mainettus) eos eſſe quidem concordes, modumque explicantes, ſententiam Platonis ad eam Ariſtotelis redigunt, aſſerendo ambos putaſſe nos videre per actionem viſilium, eiuſque in oculo receptionem, & dum Plato indicauit nos videre per emiſſionem radiorum, aiunt id feciſſe tantum vt oſtenderet oculum debere eſſe lucidum, non enim in eo imprimeretur actio rei viſilis, niſi lucidus eſſet. Profectò hi probabilius ſentiunt nec peruertunt ſententiam Ariſtotelis abſolutè tamen eorum ſententiæ ſubſcribendum non cenſeo, non enim omni ex parte eos hac de re conſentire exiſtimo. Quod vt lucidè conſtet, primo de quo conſentiant, demum de quo diſſentiant conſiderandum eſt. Profectò ſi vtriuſque ſententiam perpendimus, & verba Platonis accurratè conſideramus, conſentiunt primò quia ambo dicunt oculum debere eſſe lucidum. Mox quia neuter exiſtimat facultatem videndi ex oculo exire. Tertiò quod res non vbi eſt, ſed in oculo videatur. Quarto ambo aſſerunt lumen eſſe perinde ac medium quoddam quo videmus; nectens obiectum cum ſenſu, & ſine lumine nil videri. Demum conſentiunt ambo, ſenſilia agere, & conſpirante lumine oculum pati, affici, & formari & nos videre per illam perpeſſionem. Quod hęc ſit ſententia Ariſtotelis patet ex libro de ſenſu, & ſenſili. De Platone magis eſt dubium, Plurimi enim interpretum Ariſtotelis ei oppoſitum tribuunt, vt ſi accuratè verba Platonis perpendimus, facilè inſpiciemus rem ita ſe habere vt dixi. Nam in Philebo inquit motum in communi corporis,

Mainetus.

Euerſio.

De quibus Ariſto teles cũ. Platone conſentit.

poris, & animæ perpeſſione factum, ſi ſenſum vocaueris,non ab re nominabis &c. Vult itaque Plato nos patiendo ſentire. Inſuper in Menone inquit, colorem eſſe defluxionem oculis congruentem,& in Timęo ait. Totum igitur hoc, (compoſitum nempe ex lumine interno, & externo) propter ſimilitudinem paſſionem eandem ſortitum, cum quid aliud tangit, vel ipſum ab alio tangitur,motum huiuſmodi ad corpus omne, perque id ad animam vſque diffundens, ſenſum efficit, qui viſus vocatur &c. aperte Plato ait viſilia formare, & mouere lucidum, & per id transferri motum ad oculum, & animam. Inſuper in eodem dialogo inquit. Atque ea, quæ viſum ſic afficiunt,alba, nigraue vocamus,manifeſtè inquit, & per ſequentia verba confirmat, alba, & nigra afficere,& mouere ſenſum viſus. Similiter ait, ſenſus eſſe motus tranſeuntes per corpus vſque ad animam, frequenter Plato eandem ſententiam repetit. Similiter Plotinus Eneade 2. lib. 8. Platonem ſequens ait, viſilia mouere, & formare intermedios radios. Ex his conſtat Platonem, & Ariſtotelem ſummopere conſentire. At abſolutè aſſerere, quod omni ex parte conſentiant falſum iudico, nam duplici præſertim ratione eos inter ſe diſſentire puto. Primo quia Plato exitum radiorum ex oculo,& connexionem eorum, cum externo lumine neceſſarium eſſe aſſeruit, adeò vt ſine eo videre non valeamus,quod Ariſtotelis minimè neceſſarium duxit,& quamuis cognouerit ex oculis nonnunquam radios prodire, exitum illum minime neceſſarium duxit, nec vnquam aſſeruit conducere vt videamus.Altera differentia eſt ex prima pendens, quia Plato cenſuit ab obiecto formari, & affici id complicatum ex duplici lumine prodeunte. 53. & externo; & per id deferri actionem ad oculum,& animam. Ariſtoteles nequaquam lu-

Diſſenſio Platonis & Ariſtotelis

men illud complicatum moueri, & formari dixit, ſed abſolutè aſſeruit ab obiecto moueri inſtrumentum & actionē obiecti deferri per medium perſpicuum. Inſuper Ariſtoteles dixit per ſpeculum repercuti actiones ſenſilium dum per ſpeculum videmus. Plato econtra in Timęo inquirit per ſpeculum repercuti non actiones illas, ſed congregatum ex eo duplici lumine, adeò vt colligerę valeamus Ariſtotelem à Platone, nec diſſentire penitus, vt cenſent latinorum multi, nec etiam penitus diſſentire, vt alij audent dicere, ſed conſentire de nonnullis vt patuit, de alijs verò diſſentire.

Quid ſit perſpicuum & unde ortum ducat.

Cap. XIII.

SENSVS videndi vt dignitate cœteris præſtat, ita pluribus eget pro ſui muneris functione, ideo à Platone ſenſus opulentiſſimus nuncupatur. Prætereo cœtera ad vſum huius ſenſus conſpirantia, unum apprimè neceſſarium, eſt perſpicuum, nam ut obiecta ſenſuum, quæ per externum medium iudicantur, moueant inſtrumenta, requiritur in medio certa quædam, & definita conditio, munere cuius ea actio ſentientibus offeratur; ea conditio, ſiue affectio pró deferēdo ſono à gręcis dicitur, διηχὲς pro deferendo odore. δίοσμον pro recipiendo lumine, & deferenda actione colorum dicitur διαφανὲς, ſiue perſpicuum de quo cum uaria ſe mihi offerant conſideranda, ego quam breuiſſime quid ſit, cui competat, vnde ortum ducat, & cuius gratia paratum ſit, nitar patefacere.

Quatuor de perſpicuo declaranda.

Perſpicuitas cum ſit aliquid & non ſit ſubſtantia, eſt enim in ſubiecto quod actu eſt, proculdubio eſt accidens

& quo-

& quoniam per illud ſubiecta denominantur qualia, iure ad prædicamentum qualitatis pertinere debet, & non ad ſpeciem aliam quam ad tertiam, quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas, vt digrediendo per cœteras ſpecies redditur conſpicuum. Cum autem perſpicuitas ſit qualitas de tertia ſpecie, ea eſt vel qualitas prima, vel ſecunda vel ſaltem ſimilis eis. Qualitas prima non eſt, quia propriè primæ qualitates ſunt quatuor, calor, frigus, humor, & ſiccitas. Nec eſt propriè qualitas ſecunda, nam qualitates ſecundę proprie ſumptę, & dictæ, competunt mixtis, & ex primarum temperamento prodeunt, huiuſmodi non eſt perſpicuitas, ea enim præſertim competit corporibus ſimplicibus. Quare colligendum eſt perſpicuitatem eſſe ſimilem qualitatibus ſecundis, quatenus ſequitur certam quandam conſtitutionem ſui ſubiecti, veluti etiam grauedo, & leuitas elementorum non propriè ſunt qualitates ſecundæ, ſed illis in parte ſimiles. quatenus, vt ait Ariſtoteles in ſecundo de partibus animalium, ſequuntur primas, & cum perſpicuitas ſimplicium, perinde ſit ſimilis qualitatibus ſecundis, ac eis ſimilis ſit grauędo, & leuitas elemētorum, perſpicuitas tamē miſtorum, longè ſimilior eſt ſecundis qualitatibus, cum ſequatur mixtionem ſimplicium, & conſtitutionem mixti. Eſt itaque perſpicuitas qualitas de tertia ſpecie qualitatis, in parte ſimilis qualitatibus ſecundis. At cum conſtet quid ſit perſpicuitas, undę ortum ducat conſiderare tenemur. Sententia fuit Auerrois in ſecundo cap. de ſubſtantia orbis, perſpicuitatem, & oppoſitam opacitatem ex denſitate, & raritate ortum ducere, id eo cum terra ſit maxime denſa, maxime quoque opaca eſt, ac ob id tenebrarum & noctis dicitur mater. Verum hæc cauſa omni ex parte approbanda non eſt, multa enim rara non ſunt perſpicua, vt Luna, & Spon-

Quid ſit perſpicuitas.

Vnde oritur perſpicuitas Auerrois opinio.

Euerſio opinionis Auerrois.

& Spongia, & nonnulla denſa perſpicua ſunt, ut chriſtallum, uitrum, & præcioſi Lapilli. Propterea dicamus perſpicuitatem iunctam eſſe affinitate quadam cum luce, opacitatem uerò cum tenebris. Natura cœli primo eſt lucida, & perſpicua; fex terrea ab ea longiſſimè diſtans maxime eſt opaca, & tenebricoſa ideo magis iuncta cum cœlo, magis ſunt perſpicua, includentia fecem terream ſunt opaca, & corpora non præſertim quia rara, ſunt perſpicua, ſed quia ſunt immunia à terrena fece; ſimiliter ſunt opaca non quia denſa, ſed quia terream fecem includunt ualde diſtantem à conditione cœli. Ideo rectè Alexander in primo de anima 13. aſſeruit, terram, hoc eſt terream fecem euertere perſpicuitatem, ſic ordinem uniuerſi conſiderantes percipimus ſuperna corpora ſimul, & lucida, & perſpicua eſſe, infima nec lucida, nec perſpicua, intermedia perſpicua quidem at non lucida, nam ignis dum lucet purus non eſt, ſed incenſio quædam cenſeri debet.

Quibus corporibus competat perſpicuitas. Cap. XIV.

Perſpicuitas corpori Mathematico non competit.

An competat omni corpori phyſico.

Ariſtotelis.

OSTENSO quid ſit perſpicuitas, & vnde ortū ducat, rationi conſonum eſt, ut quibus corporibus competat conſideremus. Perſpicuitas profecto corpori competit, non quidem omni, non enim corpori mathematico competit, cum mathematicus abſtrahat à qualitatibus tertiæ ſpeciei, cum primis, tum ſecundis, ſed competit corpori phyſico, eiuſque affectio cenſeri debet. At dubium eſt num competat omnibus corporibus phyſicis. Ariſtoteles in ſecūdo de anima 68. dixit competere, non quidem omnibus, ſed mul

tis

tis phyſicis corporibus. Ex aduerſo Iulianus in libro de ſole, Iamblichus, & multi Academicorum inquiunt perſpicuitatem cunctis corporibus phyſicis competere, uel magis, uel minus, & ea, quæ opaca dicuntur, non opaca penitus eſſe, ſed minus cæteris perſpicua; nam minime omnium terra perſpicua eſt, cum tamen ea quoque aliquid perſpicui includat, quod ex eo conſtat, quia in eius viſceribus, virtute ſolis multa gignuntur quod non cõtingeret, niſi radij per terram mearet, nec mearent niſi aliquid perſpicuo in ea includeret. Ex quo inferunt puras tenebras non dari, nam adeo lumen eſt potens, adeo quę cætera eo egent, vt per omnia meet, cuncta fouens, & perficiens. Præterea Ariſtoteles ſecum pugnare videtur, nam in libro de ſenſu, & ſenſili, inquit, colorem eſſe actum perſpicui terminati, cum autem omnia corpora videantur prędita colore, iure inferendum eſt omnia perſpicuitatis aliquid includere, eſt enim perſpicuitas tanquam materia coloris, lumen vero tanquam forma eius: ideo Alexander in primo de Anima cap. 13. in 2. de Anima cap. 39. et in lib. de ſenſu, & ſenſili ait, corpora omnia modo aliquo eſſe perſpicua. Ex aduerſo tamen dari opacum conſtat ſenſu, & idipſum confirmatur ratione, nam perſpicuum, & opacum contraria ſunt, in vniuerſo ſi reperitur vnũ contrariorum, reperitur & alterum, & cum terra ſit cauſa opacitatis cęterorum, putandum eſt eam primo & ex ſe opacam eſſe. Pro ſolutione conſiderandum eſt perſpicuum eſſe duplex, unum terminatum, aliud termino deſtitutum. Diſtinctio eſt Ariſtotelis qui dixit colorẽ eſſe actum perſpicui terminati, lumen vero eſſe actum perſpicui interminati. Perſpicuum non terminatum eſt id quod à craſſo terreo non obſtruitur, & ideo eſt lumini peruium, & hoc abſolutè perſpicuum dicitur. Perſpicuum terminatum eſt id, quod craſſo terreo, eſt

ita

Iulianus. Iamblichus. Alexander. Solutio difficultatis. Perſpicuũ non terminatum. Perſpicuũ terminatũ

ita obſtruſum,& terminatum,vt lumini non ſit peruium. Hiuſmodi ſunt corpora mixta,in quibus reperitur quidē aliquid perſpicuitatis cœterorum elementorum, id tamen craſſo terreo obſtruſum,& terminatum eſt,& huius terminati perſpicui color dicitur actus,& quoniam pura elementa, & pura terra non datur, ideo dixit Alexander omnia corpora eſſe perſpicua. Si tamen terram puram mente concipimus, ea perſpicuitatis omnino iudicabitur expers. Omnia itaque corpora phyſica, quę in vniuerſo reperiuntur ſunt perſpicua,vel perſpicuitate terminata,vel non terminata,& quoniam Iulianus, Iamblichus, & multi Academicorum loquendo de perſpicuo non terminato, dixere omnia corpora eſſe perſpicua, & luci peruia, ideo (ut cenſeo) minus recte ſenſerunt, nec difficile eſt eorum rationibus ſatisfacere. Nam inquiunt in viſceribus terræ munere radiorum multa gigni, reſpondeo ea gigni non in centro,ſed in viſceribus non longe diſtantibus à ſuperna facie terræ, ad quæ per exiguos terrę meatus deferuntur radij, non autem per craſſam eius conditionem; Inſuper cum radij excalefaciant extimam partem terræ, ea pars aliam ſibi proximam ob connexionem excalefacere valet, quo calore varia in viſceribus terrę procreantur. Addebant cuncta cœli lumine perfici, & ſeruari, reſpondeo ad generationem terræ etiam lumen conſpirare, nec non ad conſeruationem vniuerſi, & totius elementi Terræ. Expurgetur enim terra per lumen ab alienis humoribus, at non propterea lumen eſt neceſſarium pro diſtincta conſeruatione ſingularum partium terræ.

Quod oīa corpora ſint perſpicua.

Solutio aduerſarū rationum.

Quos

Quos vſus præbeat Perſpicuum. Cap. XV.

QVONIAM cuncta, quæ in vniuerſo reperiuntur pendentia bono, ideo etiam cuncta ſui natura, & uenditione bonum quærunt, & in bonũ diriguntur; inde oritur, quod nil inutile in vniuerſo reperitur, ſed cuncta vt ſunt, ita bona ſunt, & vſum aliquem præbent, quare perſpicui quoque conditio non ſuperuacanea, ſed mundo ſalutaris cenſeri debet. Variæ ſunt vtilitates, quæ ex perſpicuo prodeunt, quarum vna eſt, vt eius ope cœlum ſuo lumine in mortalia agat, infundat munera ſua, elementa ſeruet diſtincta, rerumque generationes abſoluat, propterea recte Priſcianus lydus coætaneus, & amicus Simplicij, in Theopraſtum de Anima cap. 12. inquit. Perſpicuum eſt ſpecies quædam, conciliatrix eorum quæ in generatione ſunt corporum ad recipiendam luminis perfectionem. Lumen, & perſpicuum adeo familiaria ſunt vt nedum lumen in ſolo perſpicuo recipiatur verum inſuper ſua virtute, valeat corpora reddere perſpicua, lumen enim excalefacit, calefaciendo attenuat, attenuando purgat, & perſpicua reddit. Inſuper conducit perſpicuum pro cõſtitutione diei, & noctis, lucis, & tenebrarum; non enim ſine perſpicuo & opaco ſalutaris varietas, & viciſſcitudo diei, & noctis ſeruari poſſent. Tertio quam ſit neceſſarium perſpicuum pro obeundo munere ſenſus viſus adeo eſt manifeſtum vt explicatione non egeat. Demum (ut alias vtilitates prætercam) neceſſarium eſt perſpicuum pro generatione colorum, colores enim ex lucido, & perſpicuo prodeunt, & dicuntur eſſe actus perſpicui terminati. Et cũ adeò vtile, & ſalutare ſit perſpicuũ

Prima vtilitas.

Priſcianus lydus.

Luminis, & perſpicui familiaritas.

Secunda vtilitas.

Tertia vtilitas.

Quarta vtilitas.

Vtilitas opaci. opacum quoq; non inutile cēſeri debet, nam ad plura eo rū quæ retuli etiā opacitas confert, vt conſideranti reddi tur notum; nam præſertim opacum illud eſt, cuius mune re diei & noctis viciſſitudo inſpicitur, ac inſuper princi-pale officium opaci eſt lumen repercutere, & percutien-do illud reddere potentius, & ſalutarius; ideo terra cum ſit opaca, primo extrinſecus à lumine varia munera reci pit, mox illud repercutiendo vſus varios mortalibus pr bet. Et neceſſarium fuit pro recta vniuerſi conſtitutione, vt progrediendo à cœlo vſq; in terram cuncta interme-dia eſſent perſpicua, ita enim lumen cunctorum concilia trix per omnia feliciſſimè meat; Corpus autem opacum debuit in medio vniuerſi eſſe poſitum, ita enim viam lu-mini non obſtruit ne ad alia elementa progrediatur, nec alijs corporibus obeſt, ſed lumen à centro repercutien-do geminatum retribuit illud intermedij elementis; & id quod in mūdo hoc mortali mira cum vtilitate ſeruatum eſt, in cœlo quoq; modo aliquo (vt expediebat) ſeruari inſpicimus. Nam luna quæ cœleſtis terra dicitur, vt opa ca eſt, ita infra cæteros Planetas Dei prouidentia eſt collocata. At hoc occurrit conſideratione dignū, cùm per ſpicuum dicatur capax lucis, & tenebrarum, num eodem modo vtriuſque ſit capax? ſimilem difficultatem mouet Simplicius in ſecundo de Anima, quæſiuit enim, num po tentia ad lumen, & tenebras ſit vna, & eadem, vel potius duæ, & diſtinctæ. Breuibus difficultati ſatisfaciens, di-co. Lumen proculdubio eſſe formam quandam; de te-nebris eſt dubitatio nonnulli cenſent eas eſſe formam lu mini contrariam, at longè ueriorem cenſeo ſententiam Ariſtotelis, quod tenebræ ſint ſola luminis priuatio ſi te nebræ eſſent forma, profecto perſpicuum, vt luminis, ita tenebrarum eſſet capax, & in eo duæ distinctæ potentiæ reperirentur, vna ad formam luminis, altera ad formam tene-

Opacum cur in medio vniuerſi collocatum.

Dubitatio

Solutio.

tenebrarum,at cum tenebrę ſint pura priuatio, vnica in perſpicuo conſideratur potentia nempe ad formam luminis,non duæ diſtinctæ: potentia enim formam reſpicit,ex quo infero perſpicuum non eodem modo recipere tenebras, vt lumen; nam lumen reuera tanquam actum,& formam recipit,non autem ita tenebras,ſed nō recipiendo lumen tenebricoſum: inſpicitur & hoc ſatis pro attinentibus ad ſenſum viſus.

De auditu, & eius præſtantia.
Cap. XVI.

INTER ſenſus omnes viſus & auditus omnium cōſenſu principatum obtinent & tam illuſtri dignitate ſunt præditi, ut conuenienti tranſlatione etiam Deo tribuantur: dicimus enim Deum cuncta uidere, cunctaque audire, non autem ita odorari, deguſtare, uel tangere dicimus: propterea non niſi abſolutioribus animalibus conueniunt. Hi duo ſenſus magis quàm cæteri ſupra materiam & cōditiones corporeas ſunt eleuati; inuentionis & diſciplinæ, cum artium tum ſcientiarum ſunt duces; imitationis, quæ res præclara eſt, ſoli ſunt iudices; ac demum ſoli ad ſublimia nos inuitant, ad diuinaque nos eleuant, cum cæteri potius nos trahant deorſum, & in materiæ fluctibus mergant. Inde factum eſt, vt eorum inſtrumenta accuratiſſimè ſint elaborata, & in loco eminentiore collocata. Cum itaque hi duo ſenſus cæteris præferantur, inter eos de dignitate lis oritur. Putarunt nonnulli auditum viſui præſtare, quorum ſententia primò ratione ſumpta ab obiecto confirmari poteſt: nam viſu ſolùm externa & corporea percipimus, cum auditu

Nonnullorū opinio de præſtantia audit⁹.

Prima ratio.

etiam internas animæ notiones iudicemus, per uiſum ſolùm conſpicimus corporeum & externum hominem, cum per auditum incorporeum & internum percipiamus: Propterea Socrates apud Apuleium, cum adoleſcentem formoſum & ſilentem conſpiceret, ſi vis ut te videam, dixit, loquere. Et confirmatur, quia obiectum præcipuum auditus eſt ſermo, qui à ratione oritur, cum obiectum uiſus ſolùm ex corpore prodeat. Hinc Deus

Secunda. dictus eſt uerbum, non autem color. Secundò idipſum probatur ratione utilitatis: nam auditus magis conducit ad præcipuas muneris functiones hominis, nempe ad actionem & contemplationem, quàm uiſus. Quòd magis conducat ad actionem, patet, quia non viſus ſed auditus ab Ariſtotele dicitur ſenſus diſciplinæ, cuius auxilio ab alijs inſtituimur, corrigimur, & ad agendum conuenienter dirigimur. Pari ratione magis conducit ad contemplationem: quia per auditum diſciplinas apprehendimus; Veritas primorum principiorum, quæ dignitates nuncupantur, ſolo auditu percipitur; hinc cœcus euadit doctior ſurdo; ut in libro de ſenſu & ſenſili docuit Ariſtoteles, & experientia confirmat: immo Democritus, vt contemplationi di-

Tertia. ligentius incumberet, ſponte ſua ſe excœcauit. Demum idipſum patet ratione proprietatis: nam auditus magis eſt hóminis proprius quàm viſus, cum diſciplina, inſtitutio, communicatio internarum animi affectionum ſint hominis maximè propriæ: inde homo per auditum intrinſecus mirabiliter commouetur, ut patet dum orationes, dum uoces harmonia præditas, uel inſtrumenta muſicæ audimus.

Diſſolutio

Diſſolutio difficultatis. Cap. XVII.

PRAECLARA ea quidem ſunt, quæ pro parte auditus ſunt relata, at longè potiora pro dignitate uiſus afferri poſſunt, quæ ego breuiſſimè perſtringam: præfertur proculdubio uiſus ratione omnium, quæ per ſe ad ſentiendi facultates pertinent. Primò ratione obiecti: nam lux principatum obtinet inter qualitates, cui familiariſſimi ſunt colores, & longè præfertur ſono, qui ſine uiolentia non poteſt produci: ideo conuenienti translatione, & intellectum agẽtem dicimus lumini ſimilem, & Deum affirmamus eſſe lucem veram cuncta illuſtrantẽ. Inſuper ſub oculos omnia corpora cadunt, non mortalia ſolum, verùm etiam æterna. Secundò ratione certitudinis: viſus enim exactiſſimè iudicat nedum propria, verùm etiam communia ſenſilia, vt Ariſt. docuit in libro de ſenſu & ſenſili, inde oculata fides certisſima dicitur. Accedit quòd viſus ſibi ſoli credit, cum auditus alijs cogatur præbere fidem. Tertiò ratione modi operandi; nam videndi munus maximè ſupra conditiones corporis eſt eleuatum, oculus tẽpore non eget vt moueatur, ſine medij vel inſtrumenti corporea tranſmutatione excitatur, magis diſtantia percipit. Quartò ratione vtilitatis; nam ad actionem & contemplationem magis & nobiliori modo cõducit, quàm auditus: quoniam viſus id facit per ſe, vt in libro de ſenſu & ſenſili manifeſtauit Ariſtoteles, auditus verò ex euẽtu; ſermo enim, cum ſit natus audiri, cauſa eſt diſciplinæ nõ per ſe, ſed vt ex nominibus conſtat, quorum vnũquodque ſignum eſt. Ideo rectè Plato in Timæo affirmauit, ob hanc potiſſimum rationem Deum oculos genuiſſe, vt mentis circuitus, qui in cęlo peraguntur, intuiti in vſum

De præſtãtia viſus.

Ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

redigamus noſtræ mentis,& per eos animi noſtri motus componamus. Inſuper auditus conducit diſciplinæ, viſus inuentioni,inuentio longè præfertur diſciplinæ:propterea artium vel ſcientiarum inuentores inter Deos nu

Quinta. merantur,non autem qui ab alijs eas didicerunt. Quintò ratione inſtrumenti:nam oculi cœleſtes orbes imitãtur, optimè ſunt elaborati, ac vt inquit Ariſtoteles in 2. de generatione animalium cap.4. Oculus ſolus proprium corpus præ cæteris habet ſenſuum inſtrumentis: Iurè itaque ex his omnibus colligere valemus,ſenſum viſus obtinere inter ſenſus principatum, & propterea in animalibus cæteros omnes præſupponere ; & ab homine maximè omnium diligi, & iurè duces noſtros & ani-

Solutio rationum cõtrariarum mi feneſtras nuncupari. Ex his quoque patent ſolutiones rationum partis aduerſæ: conſtat enim ex euentũ modò aliquo auditum præferri, at nos ea conſiderare debemus, quæ per ſe eis conueniunt: ad quæ ſi reſpicimus, ea tria fundamenta pro auditu relata, non amplius auditus, ſed viſus præſtantiam patefacient.

De reliquis ſenſibus, & externorum ſenſuum numero. Cap. XVIII.

Odoratus inter ſenſus externos medi VISVI & auditiui tanquam ducibus ſuccedit odoratus, qui iure optimo ſenſuum externorum medius ſtatuitur: nam ſi cunctas eius con-

Prima ratio. ditiones conſideramus, in omnibus naturam quandam mediam ſeruare inueniemus. Primò inſtrumentum eius

Secunda. in medio reliquorum eſt collocatum:ſecundò odor inter ſenſilia propria eſt ordine medius; primò enim conſiderantur quatuor primę qualitates ad tactum pertinentes, ex qui-

ex quibus conſurgit temperamentum, cum quo intrinſecus inſolubili modo iungitur ſapor: odor quamuis ex temperamento prodeat, non tamen ex quouis temperamento, nec adeò eſt mixto intimus, vt ſapor, propterea non tam arctò modo cum mixto coniungitur: color adhuc dicitur magis ab eo recedere, quatenus externus eſt, & in externa ſola ſuperficie conſpicitur: ſonus pariter ſatis externus eſſe videtur: mediat itaque in ordine odor. Inſuper tertiò mediat odoratus ratione conditionis fumi & ſpirituum, per quos odor in aerem diffunditur & ad eum defertur, quæ ſunt corpora mediæ cuiuſdam conditionis. Præterea mediat ratione diſtantiæ, per quam odorem percipimus. Mediat quoque per modum ſuæ permutationis, magis ſine materia viſus & auditus permutantur: magis cum materia & craſſius guſtatus & tactus: medio quodam modo odoratus. Demum mediat ratione nobilitatis, & neceſſitatis. Et cum tam conſpicuè appareat mediat conditio huius ſenſus, hoc non leue eſt argumentum ad colligendum ſenſus externos eſſe quinque, & non plures: quia ſi ſenſus eſſent plures, non amplius locum medium obtineret. Verùm quòd ſenſus non ſint plures quàm quinque, firmioribus argumentis oſtendi poteſt: quorum vnum eſt, quia in moralibus eminentiores facultates humiliores ſupponunt, & in viuente abſolutiſſimo omnia inueniri debent; at in homine inuenitur intellectus, gradus ſupremus; ergo humiliores omnes facultates tamquam famulæ inueniri debent; Homo mortalium animantium eſt abſolutiſſimus, ergo cunctis animę facultatibus debet eſſe decoratus, in quo cum ſoli quinque ſenſus inueniantur, iurè colligendum eſt minimè dari nec inueniri poſſe plures. Idipſum confirmatur, quia inductione & ratione nullam valemus inuenire vel excogitare qualitatem

[Margin: Tertia. — Quarta. — Quinta. — Sexta. — De externorum ſenſuum munere. — Prima ratio. — Secunda.]

per ſe

per ſe natam ſentiri, quæ ab aliquo ex quinque dinumeratis ſenſibus non percipiatur. Præterea ſi vſus conſideramus, quos ſenſus nobis præbere nati ſunt, non debere alios inueniri manifeſtiſſimè patebit: nam quinque nobis tributi ſenſus omnes præbent vtilitates, quas à ſenſilibus expetere valemus. Conducunt ſenſus, vel vt ſimus, vel vt bene ſimus; at nec vt magis ſimus, neque vt melius diſponamur, alium ſenſum expetere valemus: per tactum animalia ſumus, per reliquos cuncta cognoſcimus, quæ vel proſequi vel vitare debemus.

Tertia.

Quarta Demum ſi conſideramus pertinentia vel ad media, vel ad inſtrumenta, per quæ ſentimus, cum Ariſtotele colligemus ſenſus non eſſe plures quinque. Et primò ad media conuerſi dicemus, quæcunque ſub ſenſum cadunt, vel mouent per medium internum, vel externum: ſi per internum, ille eſt tactus, ad quem redigitur guſtatus: ſi per externum, quoniam degunt animalia vel in aqua vel in aere, & per huiuſmodi media ſunt nata ſentire, cum huiuſmodi medijs cumulatiſſimè vtamur, putandum eſt nos ea cuncta ſentire, quæ per ea ſunt nata ad ſenſus deferri. Pariter ſi conuertimur ad inſtrumenta ſenſuum, cum Ariſtotele hanc formabimus oſtenſionem. Inſtrumenta ſenſuum, quia debent pati & ab obiecto moueri, debent ex corpore aliquo præcipuo conſtare, quod ſit ſimilium partium, & ſit uel elementum, uel ex dominio alicuius elementi conſtitutum. Terra à uita, & ſenſu longiſſimè diſtat; ideo pura, nullum ſentiendi inſtrumentum conſtituit; cum aliquo ſui imperio conſtituit inſtrumentum tactus, quod & ſolidum & craſſum eſſe debet, ad quem redigitur guſtatus. Ignis comburens periter nullum ualet inſtrumentum conſtituere, cum deſtruat & conſumat: ſumptus verò pro ſpiritu & calore uiuentium eſt commune inſtrumentum om-

nium,

nium,nil enim ſine huiuſmodi caliditate ſentire ualet. Aer itaque & aqua ſolùm ualent inſtrumenta conſtituere per externum medium ſentientia, per aerem conſtituitur inſtrumentum auditus, plurimum enim aeris in auribus eſt incluſum, per aquam uiſus: odoratus autem modo quodam mediat, & utriuſque eſſe dicitur, quia in piſcibus eſt aquæ, quatenus unà cum aqua defertur odor ad eos; in degentibus uerò in aere magis eſt aeris, cum per aerem odor proximè attingat inſtrumentum eorum. Quòd ſi Ariſt. in libro de ſenſu & ſenſili odoratum tribuit igni, dicendũ eſt quòd tunc non inſtrumentum conſiderabat, ſed initium per quod odores ad nos deferuntur, nam per igneum calorem ex re odore prædita fumi eleuantur deferentes odores ad inſtrumentum odoratus. Si itaque cum Ariſtotele loqui uolumus modo iam dicto, ex ſimplicibus corporibus numerum ſenſuum colligere & comprobare ualemus. At ſi liberius loqui licet, cenſeo conuenienter idipſum ita fieri poſſe; cum debeant ſenſus ſimplicibus corporibus reſpondere, uel reſpondent alicui eorum uel medio: ſi alicui eorum, terræ reſpondent tactus, guſtatui aqua, nam per imbibitam in lingua humiditatem percipitur ſapor, auditui aer, uiſui ignis; quoniam ſpiritus præſertim uigent in oculis: odoratui autẽ ut medio intermedij halitus reſpondent. Ex qua diſtributione nedum colligitur numerus, uerùm etiam ordo dignitatis ſenſuum, ut conſpicuum eſt; præſtantioribus enim ſenſibus ſuperiora elementa reſpondent.

Cur Ariſtoteles tribuat igni odoratũ.

Sexta ratio.

De

De ſenſibus internis. Cap. XIX.

QVONIAM cumulatè ſatis de externis ſenſibus verba feci, ad internos progrediens, varia, & ea quidem ſcitu digna, ſeſe mihi offerunt conſideranda. Præcipua tamen ſunt, quæ ad numerum eorum, ad ordinem, denique ad functionem munerum pertinent, de quibus ego quã breuiſſima uerba faciam. Vt uerò paratiores ad ueritatis inſpectionem accedamus, accipiendum primò eſt varios in uniuerſo inueniri rerum gradus, quæ cognoſci natæ ſunt: & quoniam pro ſalute Animantium, & præſertim pro hominis perfectione, exactaque cognitione gloriæ opificis, conueniens fuit, ut omnia cognoſceremus; ideo mira Dei prouidentia, eximioque naturæ artificio factum eſt, vt uarijs rerum gradibus uariæ reſponderent animæ cognoſcentis facultates, quarum munere ab infima materia uſque ad ſupremum opificem eleuaremur. Nam rerum diſtincti gradus, diſtinctique cognitionis ordines, facultates cognoſcendi diſtinctas expoſtulabant. Accipiendum ſecundò eſt, cum ex operibus ad principiorum cognitionem eleuemur, & ex diſtinctione operum colligamus diſtinctionem facultatis; nõ quamuis cognitionis diſtinctionem expoſcere facultatem cognoſcendi diſtinctam, ſed eam ſolum, quæ diſtinctum abſtractionis gradum includit: nam internæ Animæ facultates ſunt ſubordinatæ, & ſubordinatarum actionum ſunt initia. Tertiò accipiendum eſt in omni cognitione cõſiderari abſtractionem aliquam, & varios eſſe abſtractionis gradus: nam abſtractionum alia eſt per naturam, alia per cognitionem. Per naturam dicimus intelligentias à materia eſſe abiunctas, & hæc non eſt præ-

Fundamẽta pro dignoſcendi numero ſenſuũ internorum.

Abſtractionis enumeratio.

ſentis conſiderationis. Per cognitionem multipl ex inuenitur abſtractio: quarum vna eſt complexa altera incomplexa, complexa eſt dum dicimus vnum eſſe ſeorſum ab altero quæ ad rem non facit, incomplexa etiam multiplex eſt, nã una dicitur à materia, & conuenit ſenſibus externis, qui dicuntur ſuſcipere ſpeciẽ ſine materia, quatenus modo ſpiritali ſenſilem rei formam ſuſcipiunt. Altera abſtractio eſt à præſentia materiæ, ut dum nõ præſentibus ſenſilibus imaginatione in eis verſamur. Tertia ponitur abſtractio ſpeciei nõ ſenſilis à ſpecie ſenſili, ut dum ex lupo colligit agnus ſpeciem inimicitiæ ſub ſenſum nõ cadentẽ. Verùm hic nõ propriè dicitur tertius abſtractionis gradus à ſecundo diſtinctus, ſed potius ſubnotio quædã ex præcedẽte conſurgens: neque propriè datur ea non ſenſilis ſpecies à ſenſili diſtincta à Latinis poſita, ſed potius modus & conditio quædã cẽſeri debet illius ſpeciei ſenſilis, quatenus ſpeciẽ illã ſenſilẽ ut nobis cõuenientẽ uel aduerſam iudicamus: ſed de uocibus nõ ſit lis, dummodo de ſententia conueniamus. Hactenus progreditur ſenſus. Sequitur mox abſtractio intellectus, per quẽ vel uniuerſale à ſingularibus, vel magis uniuerſale à minus uniuerſali abiungitur: hę ſunt potiores abſtractiones; quæ in gradibus cognitionis inueniũtur. Eſt dubitatio de abſtractione mathematica, qualiſnã eſſe dicatur, ad nullã enim ex enumeratis redigi uidetur: mathematicus abſtrahit quantitatẽ & à prioribus, & à poſterioribus; à prioribus, quia eã abſtrahit à ſubſtãtia; à poſterioribus, quoniã eã abſtrahit à proprijs ſenſilibus; præſertim tamẽ dicitur ſcientia ex abſtractione, quoniã à prioribus abſtrahit: huiuſmodi enim abſtractio eſt eius propria, & per eã differt ab alijs Philoſophiæ partibus. Latini tamen ſecus exiſtimant, nam inquiunt mathematicum ſolùm abſtrahere à poſterioribus; ſed, ut cenſeo, minus rectè ſentiunt, ſed

Abſtractio itellectus.

Abſtactio mathematica quæ.

Latinorũ opinio.

hoc non eſt præſentis conſiderationis. Ad difficultatem itaque, ad quam earum redigatur abſtractio mathematica, reſpondeo eam ſumere ortum ab imaginatione, quæ ſenſile commune ſeorſum à præſentia materiæ valet ſeiungere à proprio, & etiam valet ſubnotiones facere; perfici verò ab intellectu, qui mox quantitatem vniuerſalem ab ea ſingulari imagine abſtrahit: ſic itaque hęc abſtractio mathematica ratione variorum ad varios abſtractionis gradus redigitur. Poſtremò accipiendum eſt, quòd opera, quæ nos deduxerunt ad cognitionem internorum ſenſuum, hæc præſertim fuerunt: cognitio differentiæ ſenſilium diſtinctorum ſenſuum, vt colorum & ſaporum inter ſe; cognitio priuationum, vt ſilentij, tenebrarum; animaduerſio quòd ſentiamus: quæ duo quamuis ſine externis ſenſibus non percipiantur, præſertim tamen per internos eorum cognitio abſoluitur, adeò ut cognoſci dicatur per externos, quatenus cum internis ſunt coniuncti: inſuper cognitio ſenſilium in abſentia, cognitio pugnæ & conuenientiæ ſenſilium nobiſcum, & alia huius generis.

Opinio propria.

De numero internorum ſenſuum, opinio prima. Cap. XX.

SI INTERNI ſenſus ita paterent, vt conſpicui ſunt externi, non tot de eorum numero extitiſſent Philoſophorum ſententiæ: ſed quoniam intus latent, varij de illis varia protulerunt. Pro quorum notitia præaccipiendum, internas facultates infra intellectum collocatas quatuor eſſe generum, cognoſcentes, ſeruantes, appetentes, per locum mouentes. De appetentibus non loquor, quoniam ad cognoſcentes rediguntur, à quibus ſola ratione diſtinguuntur,

Facultates infra intellectũ quot.

vt

vt in tertio de Anima contextu 29. affirmauit Ariſtoteles: neque etiam de mouente, quoniam motus ab appetitu & cognitione proficiſcitur: de cognoſcentibus præſertim eſt ſermo, ac ſimul de conſeruante. De quibus inquiunt nonnulli, cum medici, tum philoſophi, internum ſenſum re eſſe vnum, ſola ratione & nomine diſtinctum, quatenus vario eget temperamento, & uel magis uel minus ſpiritualiter operatur. Ad Ariſtotelem inquiunt eum ad hæc externa reſpexiſſe, propterea plures enumeraſſe. Id confirmant, primò quia natura ſuperuacaneis non abundat, at una interna facultas uario modo ſe habens ualet cuncta obire munera. Inſuper idipſum ex eo patere cenſent, quoniam internus ſenſus in cerebro fungitur ſuis muneribus; cerebrum eſt corpus ſimilium partium, & propterea non diſtinctis facultatibus præditum. Hæc opinio in parte vera eſt, abſolutè tamen approbari non debet: uera eſt quatenus facultates non diſtinguuntur re ab eſſentia animæ; & cum eſſentia animæ ſit una, etiam internus ſenſus erit unus. Abſolutè autem eſt reijcienda: primò, quia dum facultates numeramus, non eſſentiam reſpicimus, ita enim neque interni diſtinguerentur ab externis, neque externi inter ſe; neque etiam ipſi, dum unum ponunt internum ſenſum, hoc reſpiciunt. Præterea cum conſideretur diſtinctio ſumpta ex vario abſtractionis gradu, diſtinctioque operationis ordine expoſcente inſtrumentum diſtinctum: cum hæc inueniantur diſtincta, patet non unam poſſe ſtatui facultatem internam eis reſpondentem: Quod lucidiſſimè patet, tum quia mouens & motum debent diſtingui, ſenſus communis mouet imaginatricem facultatem; tum quia in ſomno cõmunis ſenſus ligatus eſt, libera eſt imaginatio, & ſuo munere liberè fungitur; tũ demum quia multi valent memoria, imaginatione uidẽtur ferè deſti-

Aliquorũ opinio q̃d internus ſenſus ſit vnus.

Ratio prima.

Secunda.

Hæc opinio nõ probatur omnino.

tuti, alij è contra; ſic ſæpe vna facultas per ægritudinem læditur, altera non læſa: quæ omnia diſtinctionem earum facultatũ manifeſtiſſimè patefaciunt. Fundamenta huius opinionis leuiſſima ſunt, vt ex ſe conſtat, & ex dicendis patebit ſolutio.

De numero internorum ſenſuum, opinio ſecunda. Cap. XXI.

Aliorum opinio q̃d interni ſenſus sũt duo. ALII reperti ſunt, qui cum non valuerint vnicam ſeruare internam ſentiendi facultatem; duas eſſe affirmarunt, ſenſum communem, & memoriam, vnam cognoſcentem, alteram ſeruantem. Id confirmarunt: primò, quia hæ ſunt facultates, quæ diſtinctum temperamentum expoſcunt, cognoſcens magis humidum, conſeruans magis aridum: Præterea in cerebro duo ſoli ſunt ſinus & vẽtriculi propriè diſtincti, nam medius cenſeri debet potius via ſpirituum ab uno ad alium quàm diſtinctus ab eis; in huiuſmodi autem ſinibus reſident interni ſenſus. Hæc etiam opinio admitti nõ debet, nedum quia communis ſenſus imaginatricem mouet; verùm inſuper quia communis ſenſus cum externis eſt coniunctus, ſine eis non operatur; imaginatio verò etiam abſentibus ſenſilibus ſuo munere fungitur. Ideo Ariſt. in 2. de Anima cum de communi ſenſu diſſeruiſſet, colligit ſe egiſſe de ſenſibus, mox ad imaginandi facultatem ſermonem transfert: indicans communem ſenſum cum externis eſſe coniunctum, imaginatricem verò facultatem ſeiunctam. Præterea abſtractionis gradus ſunt diſtincti, nam communis ſenſus non abſtrahit à præſentia ſenſilium, à qua abſtrahit imaginatio; operatio communis ſenſus non eſt in noſtra facultate, imaginamur autem ad libitum; diſtinguitur itaque

Ratio prima. — Secunda. — Huius opinionis confutatio.

que communis ſenſus ab imaginatrice facultate. Et fundamenta huius opinionis facile reijciuntur. Ad primum dico diſtinctionem facultatum non ex ſola temperamenti diſtinctione eſſe ſumendam, ſed etiam ex alijs: Addo inſuper, quòd quamuis temperamenta primò diſtincta ſint duo, tamen latitudine ſunt prædita; & id temperamentum, quod loco inſtrumenti inſeruit facultati cognoſcenti, vel magis vel minus tenuem & purum expoſcit ſanguinem, ſiue ſpiritum, ratione cuius varietatis inſeruire poteſt varijs facultatibus. Ad aliud, cum dicitur ſolùm duos inueniri diſtinctos cerebri ſinus, reſpondeò cum Ariſtotele non eſſe ſumendam diſtinctionem ex ſinibus propriè enim huiuſmodi facultates reſident in corde. Quòd ſi in cerebro operantur, multæ in eo ſunt viæ, variæ apparent complicationes, in quibus maior diſtinctio ſeruari poteſt. Accedit quòd illæ facultates, quamuis ſint diſtinctæ, tamen ſummopere etiam ſunt coniunctę, cum vna famuletur alteri: ideo ſpiritus eius inſeruientes ſunt continui, non interciſi, & cum eo nexu & continuatione diſtinctos operationum gradus abſoluuut.

Solutio primæ rationis.

Solutio ſecunda.

De numero internorum ſenſuum, opinio tertia. Cap. XXII.

HACTENVS in eorum opinionibus verſati ſumus, qui conuenientem numerum internorum ſenſuum minuerunt. Ex aduerſo nonnulli reperti ſunt, qui in nimium labētes quinque eos eſſe ſtatuerunt: quorum principes fuere Auicenna in 6. ſuorum naturalium, & magnus Albertus in 2. de Anima. Hi conueniunt de numero, diſſentiunt de uocibus, & operibus nonnullis, Inquit Auicenna primò

Aliorū opinio quod interni ſenſus ſint quinque.

Auicenna.

inue-

inueniri ſenſum communem, cuius munus eſt iudicare, quæ per externos ſenſus ei offeruntur, & inter ea diſcrimen ponere præſentibus ſenſibilibus. Ei ſuccedit phantaſia ſiue imaginatio, & dicitur vis formalis, quia eius munus eſt ſeruare formas communi ſenſu perceptas; & hæc virtus maximè cum ſenſu communi iuncta eſt: Sequitur tertiò vis componens & diuidens ſenſiles formas quæ nuncupatur vis cogitandi, cum ei imperat intellectus; cum verò ei imperat vis animalis, dicitur vis imaginatrix: Quartò ſequitur vis æſtimandi, quæ elicit intentiones ex ſpeciebus ſenſilibus, & componit ac diuidit intentiones & formas: Poſtrema eſt memoria Theſaurus æſtimatricis, ſeruans intentiones, & quæ ab æſtimatrice virtute percipiuntur. ex ſententia Alberti primus eſt ſenſus communis: ei ſuccedit vis imaginandi, quæ formalis dicitur, ſeruans ſenſiles formas: ſequitur tertiò æſtimatio ſiue vis æſtimandi, quæ elicit intentiones ex formis ſenſilibus, vt amicitiæ, vel inimicitiæ, & ſimilium: Memoria eſt poſtrema, quæ intentiones ſeruat. Inter Imaginatricem & Memoriam mediat phantaſia, quæ in homine, minus tamen propriè, cogitatio dicitur, nam propriè cogitare eſt munus rationis. Cuius officium eſt componere formas imaginatricis facultatis cum intentionibus memoriæ, vel diuidere. Prima ex quinque facultatibus locatur in prima parte primi ventriculi cerebri, altera in ſecunda eius parte, tertia in prima parte medij ventriculi, quarta in parte eius media, Memoria demum in parte poſtrema cerebri. Hoc eſt compendium opinionis Auicennæ & Alberti. Hi viri Clariſſimi quamuis multa dicant veritati conſona, tamen in plurimis à vero recedere uidentur; nam terminis abutuntur, numerum afferunt facultatum redundantem, & in nonnullis Ariſtoteli & rationi aduerſantur. Hi, & præſertim Alber-

Albertus.

Reiectio huius opinionis.

Phantaſia & imaginatio idē.

bertus, imaginationem à phantaſia ſeiungunt, cum tamẽ ſint idem, & unum ſit nomen græcum, alterum uerò latinum. Inſuper duplicem ponunt conſeruandi facultatem, unam formarum, alteram præſertim intentionum: quod penitus eſt ſuperuacaneum, nam una eſt ſatis, & præſertim quia intẽtio & forma adeò ſunt coniunctę, ut ea, quæ ab illis dicitur intentio formam ſequatur, & ſit potius forma conueniens uel aduerſa, quàm intentio amicitiæ uel inimicitiæ; non enim huiuſmodi intentiones à formis diſtinctas ualent elicere feræ; ideo rectius ſuprà dictæ ſunt ſubnotiones quædam. Inſuper æſtimationis uoce maximè abutuntur: nam æſtimatio latè ſumpta dicitur de omni iudicio facultatis cognoſcentis, at propriè ſumpta ad intellectum pertinet, ut Ariſt. in 2. de Anima contextu 154. affirmat. Aeſtimatio enim, Gręcè ὑπόληψις, ſub ſe continet ſcientiam, opinionem, prudentiam, & horum oppoſita, quæ ad intellectum pertinent. Præterea manifeſtiſsimè patet, quòd nec quinarius ille numerus, neque ea per cerebri uentriculos diſtributio, eſt conſona ſententiæ Ariſtotelis, cum Ariſtoteles pauciores enumeret, ut ex eius explicatione patebit; nec ullam unquam per ſinus cerebri faciat diſtributionem; immo aſſerit manifeſtiſſimè guſtatum & tactum tendere ac Cor, & propterea ibi inueniri communem ſenſum.

Facultas conſeruandi una.

Aeſtimatio quæ.

Opinio Auerrois. *Cap.* XXIII.

PROXIMIVS ad opinionem Ariſtotelis & ad ueritatem acceſsit Auerroes, qui in 2. ſuarum collectionum capitu. 20. & in 3. de Anima comment. 6. quatuor internas numerauit uires: nempe ſenſum communem; facultatem imaginandi; uim cogitandi in homine, cui reſpondere aſſerit in feris uim ęſtimandi;

Internæ facultates quatuor.

mandi;

mandi; & demum memoriam. Loquens de munere harum facultatum inquit; imaginandi facultatem recipere à communi ſenſu ſenſilem ſpeciem, eam ſeruare, comprehendere, eandem offerre ſequenti facultati, ac demum eſſe initiũ motus uoluntarij, per mediã facultatẽ motricẽ. Vim autem cogitandi aſſerit elicere à ſpecie ſenſili intentionem non ſenſilem puta amicitiæ uel inimicitiæ, ac inſuper apprehendere indiuiduas intẽtiones decem prædicamentorum, illas ſecernere à ſenſilibus propriis & communibus, eaſdem diſtinguere; ac demum memoriꝗ ſeruandas tradere, pro repetendis earum cognitionibus. Has facultates affirmat præſertim eſſe in corde, habere tamen in cerebro loca propria, in quibus abſoluuntur ac manifeſtantur earum operationes: nam in anteriori parte manifeſtantur operationes communis ſenſus & imaginationis, in parte media cerebri manifeſtãtur operationes cogitationis, in poſtrema memoriæ. De hac opinione à ſectatoribus Auerrois plurima dicuntur. Verùm cũ Auerroes manifeſtiſſimè ab Ariſtotele & à ratione recedat, liceat quoque mihi recedere ab eo. Quòd recedat ab Ariſtotele, patet: nam inquit Ariſtotelem in libro de ſenſu & ſenſili quatuor eas virtutes in ordinem redigere, quod tamen minimè facit; nullibi enim Ariſt. quatuor eos internos ſenſus enumerauit neque etiam id facit in libro de memoria & reminiſcentia. Inſuper abutitur Auerroes nomine cogitationis, cogitatio enim ſiue vis cogitãdi eſt ea facultas intellectus, quæ Dianoëtica nuncupatur, ſed hic fortè eſt error interpretis. Pręterea Ariſtoteles in calce ſecundi de anima agens de uirtute imaginatrice eam ponit ſupremam, aſſerit dum obtegitur intellectus, hominem per eam operari, & obtinere tunc locum intellectus, & animalia rationis expertia per eandem quamplurima efficere: immo in contextu 155. nomine intel-

Contra Auerrois opinionẽ diſputatio

intellectus imaginationem quoque honeſtauit, dum diuiſit intelligere per imaginari, & æſtimare. Inſuper in 3. de Anima ſæpe manifeſtauit imaginationem proximè famulari intellectui, cum dixit intelligentem ſpeculari phãtaſmata, & nil ſine imaginatione intelligere; adeò ut inter imaginationem & intellectum nullam aliam inſeruerit cognoſcentem facultatem. Miſſum facio, quòd apprimè dubia ſunt, quæ dicuntur ab Auerroe de operibus cogitationis, & de diſtinctione ſingularis intentionis à ſingulari ſpecie in facultate ſentiente. Sed in his nolo perſiſtere, ſat eſt quòd in ſtatuendo numero internorum ſenſuum manifeſtè aduerſatur Ariſtoteli. Neque etiam ualemus ab errore uindicare Auerroem dicendo, quòd uis cogitandi ab eo poſita ſit exceſſus imaginationis hominis ſupra imaginationem brutorum, cui exceſſui nomen cogitationis tribuerit; hoc inquam dicere nõ ualemus, quoniam aſſerit in iumentis quoque hanc quartam uirtutem inueniri, & dici æſtimatricem. Præterea abſolutè dicit uirtutes internas eſſe quatuor, & ſedem diſtinctam tribuit imaginationi & cogitationi. Inſuper inquit imaginationem ſeruare, & offerre ſpecies ſubſequentibus facultatibus, quod manifeſtè denotat diſtinctionem. Recedit itaque Auerroe ab Ariſtotele, & minus rectè in 3. de Anima com. 6. carpit Galenum, quia dixit cognitationem eſſe hominis propriam: nam Galenus de Dianoëtica facultate loquebatur, quæ cogitatio latinè dicitur, & ad intellectum pertinet: de hoc tamen minus rectè ſenſit Galenus, quia eam inſtrumento addictam iudicauit.

Opinio approbanda. *Cap. XXIV.*

Græcorũ opinio laudatur.

QVONIAM Arabes præſertim Auicennã,& Latini plurimi ſequuti Auerroẽ minus rectè ſenſerunt, propterea cum Græcis & cum Ariſtotele dicendum cenſeo, tres ſolas eſſe internas ſentientis Animæ facultates, ſenſum communem, imaginationem,& memoriam. De his uerba fecit Ariſt. nam,in 2.de Anima cumulatè de ſenſu communi & imaginatione diſſeruit, in libro de ſenſu & ſenſili etiam egit de communi ſenſu,in libro de memoria & reminiſcentia de tertia facultate uerba fecit, de alijs nullibi, nec unum quidem fecit uerbum. Et propterea Græci interpretes de numero internorum ſenſuum non dubitarunt,ſed pro comperto cum Ariſtotele habuerunt eſſe ſolos tres nuper dinumeratos. Communis ſenſus eſt ueluti nexus & centrum quinque externorum, cuius munus eſt operari vnà cum externis ſenſibus, exactius iudicare tum communia ſenſilia,tum priuationes ſenſilium, tum operationes ſenſuum; & demum diſcrimen ponere inter ſenſilia per ſe variorum ſenſuum, puta inter colorem & ſaporem. Et ſuccedit uis imaginandi, quæ græcè φαντασία dicitur, cui ſenſus communis ſenſiles ſpecies offert, ea uerò in eis uerſatur etiam abſentibus externis ſenſilibus. Hæc facultas nedum cognoſcit ſenſilia per ſe, vt ſenſilia ſunt, uerùm inſuper ratione conferentis uel aduerſi,delectationem uel triſtitiam afferentis: & hoc nõ facit eliciendo intentiones uel ſpecies non ſenſatas à ſenſatis diſtinctas, ut aiunt Arabes;ſed ſolùm per quandam ſubnotionem eiuſdem ſpeciei,& cõſecutionem aliquam. Non enim agnus per intentionem inimicitiæ diſtinctam à ſpecie ſenſili lupi, fugit & timet;ſed per ſpeciẽ

lupi

lupi ſecum pugnantis; vt pugnans eſt conferente ad id quodam inſtinctu naturæ. Hinc oritur, quòd Animalia rationis expertia dicuntur efficere opera varia, & per naturam, vt dicitur in 2. Phy. cont. 8c. & per imaginationem, vt dicitur in calce 2. de Anima: ea enim efficiunt per imaginationem cum quodam inſtinctu naturæ, cognoſcendo ſpeciem ſenſilem ut congruentem vel aduerſam; ideo etiam hæc uis dicitur initium motus. Ex his tribus facultatibus ſenſus communis maximè iunctus eſt externis ſenſibus, ideo dicitur nexus & finis eorum: & Ariſt. cum de eo diſputaſſet in 2. de Anima, colligit in cõtextu 149. ſe de ſentiendi principio diſſeruiſſet. Imaginatio verò maximè nectitur. cum intellectu, & nomine eius nonnunquam honeſtatur, vt in contextu 155. ſecundi de anima, & alibi. Quod ei conuenit, tum quia proximè intellectui miniſtrat; tum quia ex ſe cum quadam libertate nouas imagines formare valet, ſumpto tamen ſemper initio ab illis quæ ſub ſenſum cadunt; tum demum quia in iumentis & pueris more intellectus dominatur, ducit, & initium ſupremum eſt variorum motuum. Imaginandi facultati maximè iuncta eſt memoria, adeò ut ſola ratione ab ea ſecerni dicatur. Præter has aliæ facultates admitti non debent, nec pauciores dici poſſunt, cum omnes ſint apprimè neceſſariæ. Quod plures poni non debeant, manifeſtiſſimè patet: quoniam phantaſia & imaginatio idem denotant, & vtriuſque eadem eſt definitio, quòd ſit motus factus à ſenſu qui actu eſt. Cogitandi uis addenda non eſt; quoniam ſi proprie eius nomine vtimur, ad intellectum pertinet: ſi eo abutimur, eius opera imaginationi ab Ariſtotele tribuuntur, quæ proximè intellectui famulatur: ideo dixit in tertio de anima 30. phantaſmata perinde ſe habere ad Dianoëticam facultatem, ac ſenſilia ad ſenſum. Neque etiam addi debet

Facultates internas nõ eſſe plures neque pauciores tribus.

vis ęſtimandi in feris, per quam ſua munera obeant: nam Ariſtoteles inquit feras per imaginationem, non per ęſtimationem operari. Neque debeant poni plures facultates ſeruantes, quoniam una ſatis eſt. Colligimus itaque cum Ariſtotele, cum Græcis interpretibus, cum ratione tres ſolas eſſe internas animę facultates ſub intellectu collocatas, quaſi initium, medium, & finem internarum virtutum, quæ in rebus ſenſilibus uerſantur.

Finis Libri Sexti.

PETRI DVODI
FRANCISCI D. MARCI
PROCVRATORIS FILII
De Anima Liber Septimus.

De intellectu diſſerendum proponitur.
Cap. I.

VARIA, & ea quidem præclara, hominiq; apprimè utilia, de intellectu ſeſe nobis offerunt conſideranda; quorum plurima cum à uiris doctiſſimis cumulatè fuerint explicata, ego cæteris prætermiſſis, ex innumera copia unum eligam, in eoque accuratè uerſabor, nẽpe in cõprobãda humanæ mentis immortalitate; & iurè quidẽ; nã hic eſt uertex, ex quo cætera pendent; hic eſt fructus cęterarũ Animæ cõſiderationũ; hæc eſt directio noſtri curſus in Deũ. Diſputaturus de humanę mentis immortalitate, non de abſoluta uerita

te

te dubitabo; certò enim ſcio eam ſeorſum à materiæ labe, longè ab initijs interitus à Deo fuiſſe creatam; ſed hoc mihi declarandum propono, Ariſtotelem putaſſe eã minimè morti eſſe obnoxiam, ut perperam Epicurei, & ſectatores Alexandri exiſtimarunt. Et cum dico Ariſtotelem huius fuiſſe opinionis, ſimul aſſero omnes humanæ ſapientiæ principes hoc exiſtimaſſe, cum de Pythagora, Socrate, & Platone nulla ſit lis; frequenter enim hanc ueritatem metaphoris, exemplis, oſtenſionibus, hiſtorijsq; comprobarunt: ex hac autem ueritatis comprobatione quamuis certiores reddi non debeamus, quia nil eo certius eſt, quod exit ex ore Dei; ſaltem humanæ curioſitati ſatisfaciemus, firmius toto pectore in hanc ueritatem incumbemus, & nullum deuiantibus ſubterfugiendi locum derelinquemus; quoquo enim uerſus ſe uertent, ſiue ſurſum ad diuinam ſiue deorſum ad humanam ſapientiã, ſemper hic ueritatis fulgor oculo mentis eorum, niſi eo fuerint penitus deſtituti, ſplendidiſſimus refulgebit. Vt itaque præſtem quod ſum pollicitus, ex libris Ariſtotelis loca præcipua eligam, eaque accuratè perpendam, ut ex eorum recta explicatione eius ſententię ueritas maniſeſtiſſimè eliciatur.

Ex primo de partibus animalium, ratio prima. *Cap. II.*

PHILOSOPHVS in primo de partibus Animalium exactè explicaturus, quæ ad ſcientiam de animalibus pertinent, quoniam ſcire eſt rei cauſam cognoſcere; iurè quærit primò, quas eorum cauſas explicare teneatur: Et quoniam animal ex materia & forma conſtat, quę forma ſimul & forma & finis & efficiens eſt, ac ex ſe patet munus Phyſici eſſe conſiderare

derare omnem gradum materiæ, de forma autem ſecus ſe habet; iurè de Anima, quæ forma eſt, dubitat, an omnis eius gradus ſiue pars ad naturalem pertineat: nec dubitat de uirtute nutriente & ſentiente, nam de eis pro comperto habet, quòd ad naturalem pertineant; cum ſint naturæ, & initia accretionis, uel alterationis; ſed de ſola διάνοια, quæ initium eſt intelligendi: de qua agens tribus rationibus oſtendit ad naturalem non pertinere. Ex qua concluſione ſtatim colligo uim intelligendi ex ſententia Ariſt. non pendere à materia, & immortalem Mens non
ac diuinam eſſe: Nam forma omnis à materia pendens eſt natura
naturalis eſt conſiderationis, vis intelligendi non eſt na- lis conſide
turalis conſiderationis, non itaque à materia pendet, & rationis.
propterea diuina & immortalis eſt. Prima propoſitio conſpicua eſt apud Ariſtotelem: nam in 2. Phy. 26. in proœmio de Anima 17. in 6. Metaph. 2. & alibi diſtinguens formas ad naturalem pertinentes à pertinentibus ad diuinum, ſemper aſſerit ad diuinum pertinere ſeparatas formas, ad naturalem uerò pendentes ex materia atque mortales, ut etiam aſſeruit in calce primi Phyſicorum. Validiſſima eſt hæc ratio pro colligenda ſententia Ariſtotelis, & clarior apparet uis eius, dum conſideramus, quàm leues & inanes ſint aliorum euaſiones: nam ex omnibus, quos ego uidi, tres præcipuos ſoluendi mo- Reſponſio aduerſa-
dos colligere ualui. Primus eſt, quòd ſermo Ariſt. in pri- riorũ tri-
mo de partibus Animalium non ſit de ſola hominis uel plex.
mortalium Animalium Anima; ſed de Anima uniuersè Prima.
ſumpta, includente etiam cęlorum Animas, quæ ad Phyſicum non pertinent, uel ſaltem includente intellectum agentem, qui non eſt natura, neque ad animam pertinet, vt dixit Portius. Altera ſolutio eſt quorundam, qui in- Secunda.
quiunt Ariſt. in eo loco dialecticè loqui, & minimè ex ſententia. Demum inquiunt alij Ariſtotelem ſolùm pro- Tertia.

bare

bare vim intelligendi, vt contemplationis eſt initium, & ad propriè ſumpta intelligibilia refertur, ad naturalem non pertinere; ſed ſolùm ad eum pertinere, ut pars eſt Animæ, & eſt forma hominis, Hæc ſunt, quæ viri ſolertes excogitarunt, vt hanc impietatis notam Ariſtoteli inurerent: ſed perpendamus, quàm longè recedant à uero.

Cõtra primũ reſponſionem.

Aſſerere quòd Ariſt. loquatur de Anima in communi, eſt in conſpicuo errore verſari: Primò, quia dubitatio ad rem non faceret, conſiderabat enim ibi Ariſt. quæ cauſæ animalium mortalium aſſignandæ eſſent, nulla in libris de Animalibus ſit mentio de cœlo, de ſola itaque Anima mortalium eſt dubitatio. Quod patet, quia probans Animam à Phyſico eſſe conſiderandam, inquit formam animalium eſſe vel Animam, vel partem Animæ, uel non ſine Anima: quamprimùm enim à corpore Anima diſceſſerit, deſinit eſſe animal. Hæc Ariſtoteles, quæ de ſola mortalium Anima vera ſunt. Hòc clarius etiam patet, quia colligens inquit, hominis naturæ ſtudioſi ſanè intereſt de Anima & diſſerere & ſcire, & ſi non de omni, ſaltem de ea ipſa, qua tale animal eſt; & quid nam Anima, aut certè pars iſta animæ ſit, & cæt. Per hæc verba manifeſtat id, quod eſt excludendum à phyſica conſideratione, eſſe partem Animæ mortalium. Huiuſmodi non ſunt Animæ cœli, non enim dicuntur partes Animæ, ſed integræ & ſolutæ mentes. Præterea ſi Ariſtoteles dubitaſſet de omni Anima, & includeret etiam Animas cœlorum, male ſolueret, quoniam inquit naturalem debere conſiderare Nutrientem & Sentientem, non autem διάνοιαν: at ſi deberet etiam humanum intellectum conſiderare, cur tertium hunc animæ gradum non enumeraſſet, & manifeſtaſſet ad phyſicum pertinere? Mitto quòd dum Anima diuiditur per nutrientem, ſentientem & διάνοιαν, eo nomine ubique denotare conſueuit huma-

num

num intellectum, non cœlorum animas. Præterea cum Ariſtoteles dicat iumentis competere initium motus, nō autem intellectum, manifeſtè de eo loquitur, qui homini & non iumentis competit. Demum ſi animas cœlorum denotaſſet, malè oſtenderet Ariſt. ad phyſicum non pertinere, quia non ſint initium motus, maximè enim initia motus eſſe dicuntur. Aſſerere cum Portio, quòd Cōtra Portium.
Ariſt. loquatur de intellectu hominis confusè ſumpto, includente intellectum agentem, qui Deus eſt, & ad diuinum pertinet; eſt labi in plures errores. Non enim intellectus agens eſt Deus; & ſi Deus eſſet, inaniter laboraret Ariſtoteles, vt oſtenderet ad phyſicum non pertinere; iam enim in 2.phyſi.26.& in calce primi id manifeſtauerat. Præterea diminutè ſolueret, cum dicat ad naturalem pertinere vim nutrientem & ſentientem, non διάνοιαν: nam etiam tertius humanæ animæ gradus ad eum pertineret. Accedit, quòd Ariſt. dianiæ nomine intellectum denotare conſueuit, qui poteſtate dicitur; vt patet ex 2. de anima cont.32.& ex 3.de anima cont.5.non autem denotare conſueuit agentem. Modus itaque primus ſoluendi non eſt approbandus, & longè minus ſecundus, quòd Contra ſecūdam reſponſionē.
Ariſt. non ex ſententia ſed dialecticè loquatur, ita namque nos deciperet, non doceret. Accedit quòd ille eſt locus proprius eius conſiderationis, vt patet: nam aſſignaturus & explicaturus cauſas animalium, tenebatur primò declarare, quas cauſas & vſque ad quem terminum teneretur manifeſtare. Inſuper Ariſt. valde laborat in comprobanda ſua ſententia, & vtitur varijs oſtenſionibus magni momenti, vt apparebit. Demum vbique Ariſtot. eodem vtitur loquendi modo, quòd phyſici munus eſt loqui de omni anima; aut de tali, hoc eſt pendente à materia, vt patet ex proœmio de anima contextu 15.& ex 6.metaph. cont.2. Poſtremus etiam ſoluendi modus Cōtra tertiam ſolutionem.

admitti non debet,nam inquiunt Ariſtotelem ſolùm probare humanum intellectum non attinere ad phyſicum, vt vnà cum agente contemplationis eſt initium,vt ad verè intelligibilia refertur,vt eget munere intellectus agentis, & cum eo comparatur: Pertinere tamen ad naturalem, vt eſt forma hominis, & particula animæ. Verùm ſi hoc dicimus, ſequitur primò quòd Ariſtoteles malè ſolueret difficultatem:dubitauit ipſe,quæ animalis cauſa aſſignanda ſit, & quæ forma, & dicebat, & ſi non de omni anima, tamen de ea ipſa, qua tale animal eſt, à phyſico eſſe agendum: dubitatio itaque erat de anima vt forma animalis:& hi volunt, quòd ſoluatur dubitatio, quòd de intellectu non eſt agendum, non quidem vt forma, ſed vt ad intelligibilia refertur vnà cum agente. Quare ſolutio difficultati non reſpondebit. Inſuper ſi humanus intellectus eſſet cum materia mixtus, non referretur ad propriè ſumpta intelligibilia, quæ ſunt ſubſtantiæ abiunctæ, nec eiuſdem ordinis & conſiderationis cum eis eſſet: nam ad ea refertur intellectus ille, qui & abiunctus eſt, & propriè eſt intellectus: intellectus verò cum materia mixtus ſolùm refertur ad materiata intelligibilia,& eiuſdem conſiderationis eſt cum eis. Præterea conſueuit Ariſt. dum conſiderat an aliquid pertineat ad phyſicum, vel ne, ad eſſentiam reſpicere, non ad habitudines & opera: ideo quamuis primus motor quo ad varia attributa à Phyſico conſideretur, tamen quia eius ſubſtãtia non attinet ad phyſicum, dixit in 2. Phyſi. 71. & 73. primum motorem ad phyſicum non pertinere. Quare pariter cum neget intellectum humanum ad phyſicum pertinere, ad eius eſſentiam non ad eius opera & relationes reſpexit. Quod lucidiſſimè patet ex ſexto metaph. contextu 2. vbi eandem repetens ſententiam inquit, ideo de Anima quadam phyſici eſt verba facere quæcun

que

que non ſine materia; patet quòd tunc reſpicit ad eſſentiam animę: Et cauſam ſuæ ſententiæ aſſignans inquit, quęcunque non ſine materia, nam Philoſophus ad hoc abſolutè reſpicit, an forma pendeat uel non pendeat à materia; & ex eo ſolo colligit ſemper quòd pertineat vel non pertineat ad Phyſicum. Colligamus itaque omnem animæ partem, quæ ad phyſicum non pertinet, eſſe ſine materia, & immortalem; dianiam ſiue vim intelligendi hominis ad phyſicum non pertinere; & propterea ſine materia, & immortalem eſſe.

Alia ratio ex eodem primo de partibus. Cap. III.

OSTENDIT Philoſophus tribus rationibus vim intelligendi hominis ad Phyſicum non pertinere, quarum prima hæc eſt. Si phyſicus de omni anima ageret, nulla pręter naturalem ſcientiam relinqueretur Philoſophia; quod ſequitur manifeſtè eſt abſurdum: conſequentia probatur, quia ſi Phyſicus conſideraret omnem animam, conſideraret intellectum; ſi intellectum, etiam intelligibilia, cum ſint ad aliquid: quare Naturalis ſcientia erit de omnibus, & propterea alia philoſophia non remanebit: quod patet exemplo ſenſuum & ſenſilium, conſiderans enim ſenſum, ſenſilia quoque conſiderare tenetur. Hęc ratio pręclaris ingenijs magnam dubitandi prębuit occaſionem: nam ſi conſiderans intellectum tenetur conſiderare omnia intelligibilia, vna itaque ſola dabitur ſcientia, ad quā intellectus pertinebit, non plures; quod proculdubio falſum eſt. Accedit quòd ratio leuis videtur: quoniam conſiderans vnum ex his quę inuicem referuntur, tenetur & alterum conſiderare, non quidem abſolutè, ſed ſolùm

Prima ratio.

Inſtantia prima.

Secunda Inſtantia.

vt refertur ad aliud: ideo ſuperfuerũt reliqui cõſiderãdi mo

Reſponſio. di. Hæc & huiuſmodi ſunt, quæ aduerſus hanc oſtenſionẽ à varijs afferuntur: quæ omnia ex eo ortũ duxere, quia perperã, vt cenſeo, & voces & oſtenſionẽ Ariſt. aſſumpſerũt. Nã primò, cum Ariſtoteles dicat, nulla præter naturalem remaneret philoſophia: ipſi cum Theodoro Gaza inquiunt, nulla remaneret ſcientia, & quamuis ſcientia omnis ſit philoſophiæ pars, tamen Mathematicæ rectius dicuntur ſcientiæ, quàm partes philoſophiæ. Accedit quòd hic eſt modus loquendi Ariſt. quòd ſi præter phyſicas nõ darẽtur aliæ ſubſtantiæ, phyſica eſſet prima Philoſophia, & præter eã non daretur alia, hoc eſt Metaph. vt dicebat in 6. Metaph. cont. 3. Præterea minus rectè accipiunt nomen intelligibilis, ipſi enim per intelligibilia denotari cẽſent omnia vniuerſalia, quæ ab intellectu ex phantaſmatibus eliciantur: quod verum non cenſeo, quoniam dum Philoſophus ea quæ ſunt diuidit per ſenſilia, & intelligibilia, vbique denotare conſueuit per ſenſilia res corporeas ſub ſenſum cadentes, per intelligibilia verò ſubſtantias abiunctas: ſic in 12. Metaph. cont. 5. inquit: ſubſtantię tres ſunt, vna ſenſilis mortalis, altera ſenſilis æterna, tertia immobilis. Alexander quoque in primo de Anima in c. de intellectu practico & ſpeculatiuo inquit: quæ ſunt, diuiduntur in ſenſilia, & in intelligibilia. Auerroes in procemio Phyſicorum dixit, intentionẽ naturalis philoſophiæ eſſe cognoſcere cauſas ſpecierum ſenſilium, & eorum quæ accidunt eis: per ſpecies ſenſiles, denotauit omnia corpora phyſica. Præterea manifeſtiſſimè inquit Ariſt. in 3. de anima 16. ĩ his, quę habẽt materiã, poteſtate ſolũ vnũquodq; eſt intelligibile, &c. indicãs materiata non dici abſolute intelligibilia ſed ſẽſibilia, & ſolũ eſſe ĩtelligibilia poteſtate. Et propterea Ariſtoteles in primo cœli oſtẽſurus mũdũ ex vniuerſa materia cõſtare inquit in tex. 97. illum cõ

ſtare

ſtare ex omni phyſico & ſenſili corpore; nam corpus om ne phyſicũ ſenſile eſt. Quòd ſecus hoc explicare nõ valeamus; oſtendo: quia Ariſtoteles id denotat per intelligibilia; quod cõtra diſtinguitur à ſenſilibus cõſideratis in ſciẽtia naturali; at ea nõ ſunt indiuidua, quoniã de eis non eſt ſcientia, ſed corporea ſub ſenſum cadentia; quare per intelligibilia nõ denotat vniuerſalia & communia, ſed incorporea & abiũcta, quæ ab eis cõtra diſtinguuntur. Et ſi quis dicat, quòd per ſenſile denotatur ſenſile determinati generis, vt colores, ſapores, & huiuſmodi; ꝑ intelligibile verò id quod eſt generis indeterminati; ſiue notiones omnium rerum vt abiunctæ ſecundum eſſe, & ſecundum rationem: Contra, huiuſmodi ſenſile non eſt cõtra diſtinctum ab intelligibili; ſed eſt pars eius, cum ſit notio vniuerſalis rerum ſenſilium contenta vt ſpecies ſub vniuerſali notione omniũ rerum per intellectum abiuncta. Præterea verum nõ ait quòd notiones communes rebus omnibus vt entis vnius, & ſimiliũ, ſint abiunctę ſecũdum eſſe; cum enim non ſint natura vna niſi ab vno, nequaquam ſecundũ eſſe ſunt abiunctæ, & cõfirmatur: quia vel per notiones intelligimus eas, quæ ſunt obiectũ intellectus; uel intelligimus notionẽ abſolutè, vt notio eſt. Si primũ, falſum eſt dicere, quòd notiones, quę ſunt obiectum intellectus; ſint abiunctę ſecundum eſſe & ſecundum rationem: nam obiectũ intellectus eſt eſſentia ſiue, vt aiunt, quidditas rei materiatę, quę vt obiectũ intellectus ad phyſicum pertinet, & dum definitur, per materiam phyſicã definitur, vt de hominis & cęterorum huiuſmodi definibiliũ definitione conſpicuum eſt. Si autem intelligimus notionẽ, vt notio eſt, contra, non eſt notio, vt notio, quæ cõſtituit partes philoſophiæ, ſed res quarum eſt notio, & præſertim, quia notio, quę ad intellectum refertur, per repreſentationem eſt eadem cum re, cuius eſt notio; ideo non debet

Inſtantia.

Solutio.

bet dici abiuncta ſecundum eſſe cum res, cuius eſt notio, abiuncta non ſit; quare niſi per intelligibile denotetur ſubſtantia abiuncta, nunquam apparebit uis oſtenſionis Ariſtotelis & ueritas aſſumptuorũ in ea cõfirmatur, quia ſi ſecus exponitur, vt paſſim à Zimara, Sueſſano, & ſectatoribus locus ille explicatur, ratio redditur leuis & fallax: at ſi ita exponitur, nedum ſeruatur proprius loquẽdi modus Ariſtotelis, verùm inſuper oſtenſio efficax & inſolubilis redditur: nam vt naturalis conſiderans ſenſum, tenetur conſiderare omnem ſubſtantiam corpoream ſub ſenſum cadentem; ita etiam ſi intellectum conſideraret, teneretur cognoſcere omnem ſubſtantiam intelligibilẽ & abiunctam, ac ita cognoſceret ſubſtantiam omnem, & includeret cõſiderationem diuinam: ex quo ſequeretur præter naturalem nullam aliam ſupereſſe philoſophiam. Et eſt ſimilis conſequentiæ formatæ in 6. Metaph. cont. 3. ubi inquit, ſi non darentur ſubſtantiæ abiunctæ, naturalis eſſet prima philoſophia: pari ratione nunc inquit, ſi ſubſtantiæ abiunctæ à naturali conſiderarentur, alia philoſophia non ſupereſſet. Et pro confirmatione aduertendũ, quòd ubi legitur intellectum & intelligibilia mutuò referri, Græcè εἴπερ πρὸς ἄλληλα hoc eſt ſiquidem inter ſe referuntur, in nonnullis codicibus legitur, εἴπερ ἄλλα, hoc eſt ſiquidem alia ſint: Et iurè ita cum conditione loquitur, quia reuera alia non ſunt re, ſed ſola ratione diſtinguuntur: omne enim propriè intelligibile eſt intellectus, & è contra. At obijciet fortè aliquis: Primò, quia

Inſtantia prima. Ariſtoteles per ſenſilia denotat obiectum ſenſuum, ergo per intelligibilia debet donotare obiectum intellectus, non autem ſubſtantias abiunctas. Et confirmatur, quia conſiderans ſenſum ſolùm tenetur conſiderare ſenſilia, quæ ſunt obiectum eius, nõ autem omnem formam ma-

Secunda. terialem; ut conſiderans uiſum, ſolùm viſilia. Præterea

Ariſt.

Ariſt.ex eo quòd conſiderans intellectum tenetur conſiderare omnia intelligibilia, infert quòd de omnibus erit naturalis cognitio; at hoc non ſequitur, niſi per intelligibilia intelligamus commune obiectum intellectus. Demum Ariſtoteles inquit, nulla præter naturalem relinqueretur philoſophia: uniuersè ait nullam supereſſe philoſophiam, non autem de ſola Metaphyſica loquitur. Tertia.

Hæc leuia ſunt, & facilè diſſoluuntur: nam ad primum dico per ſenſilia Ariſtotelem denotare omnia quæ ſub ſenſum cadunt ea ratione, qua ad ſcientiam pertinent, & in philoſophia conſiderantur: huiuſmodi ſunt non quæ uniuerſalibus opponuntur, quia ſic ad philoſophiam non pertinent, ſed ſunt omnes ſubſtantiæ corporeæ, ut ſe expoſuit Ariſtoteles in 12. Metaph. contex. 5. ubi omnem ſubſtantiam ſenſilem, ſiue æternam ſiue mortalem, ad phyſicum pertinere aſſeruit. Ad confirmationem dico, quamuis cōſiderans ſenſum vt ad ſenſilia refertur, teneatur conſiderare quæ ſenſum mouent: tamen qui exactè ſenſum & ſentiendi facultatem cōſiderat, tenetur omnia ſenſilia corpora cōſiderare, cum ſint eiuſdem ordinis cōditionis & conſiderationis. Ad ſecundam inſtantiā dico iurè Ariſtotelem inferre, quòd de omnibus erit naturalis cognitio; quoniam quæ uniuerſum conſtituunt, uel ſunt ſubſtantiæ corporeæ & ſenſiles, uel abiunctæ: omnia enim uel ſenſilia, uel intelligibilia ſunt ex ſententia Ariſtotelis in 12. Metaph. cont. 5. ut nouit etiam Alexander. Cum itaque phyſicus conſiderans ſenſum teneatur conſiderare omnem ſubſtantiam ſenſilem; ſi conſideraret intellectum, teneretur quoque conſiderare omnem ſubſtātiam intelligibilem, & propterea de omnibus erit phyſicus. Ad poſtremam inſtantiam, quia Ariſt. uniuersè inquit, nulla præter naturalem relinqueretur philoſophia; & propterea non ſolam ait deſtrui diuinam philoſophiā, Reſponſio ad primā. Ad ſecundam. Ad tertiam.

ſed

ſed etiam Mathematicam. Hæc inſtantia cõtra approbatam extenſionem nulla eſt; quoniã Ariſtoteles ad ordinẽ philoſophiæ reſpicit,& quia ſupra phyſicam ponitur diuina, ideo dempta diuina nulla alia præter phyſicã remaneret philoſophia: veluti ſi diceremus, ex ſententia Ariſtotelis præter octauam ſphæram nulla alia datur, quia nona ab eo nõ ponitur. Inſuper iurè ita loqui poteſt, quoniã mathematica nõ propriè eſt philoſophia, vt declarauit Alexander in proœmio libri priorũ, propriè enim philoſophia in ſubſtãtia verſatur et tot ſunt eius partes quot ſubſtantiæ, vt dicitur in quarto metaph. Verè hæc inſtantia inſolubilis eſt contra eos, qui ſecus rationem Ariſtotelis explicant, vt contra Zimaram, & eius aſſeclas; qui ſeruare non valent, quomodo ſequatur deſtructio mathematicæ, & coguntur varia dicere à uero alieniſſima. Sed ne ab inſtituto longius vager, colligo expoſitionem ſupra approbatam optimam eſſe: eã rectè nouit Philoponus, ideo in expoſitione 15. contex. primi de anima, referens locũ hunc ex primo de partibus animaliũ, inquit intelligibilia ad diuinũ philoſophum attinere. Simplicius quoque in proœmio de anima idipſum affirmat, nã ait intelligibilia ad diuinũ attinere. Semper intelligibiliũ nomine ſubſtãtias abiunctas denotando. In hoc tamẽ Simplicius ab Ariſtotele receſſit, quia poſuit ideas, quas intelligibilia nuncupauit mẽti inſerta. Ex recẽtioribus Hiſpanus, & poſt eũ Portius, rectã illã expoſitionẽ approbarunt: ſed Portius malè eſt ea uſus, nõ enim ex ea id collegit, quod ex recta eius aſſumptione colligi debet, & eſt æternitas & ſeiunctio à materia noſtri intellectus. Nã ſenſus & ſenſilia inuicẽ referuntur, & ſunt eiuſdẽ cõditionis & conſiderationis, cum ſint res corporeæ & materiatæ: ita quoque intellectus & verè intelligibile, propriè & verè inuicem referuntur, & ſunt eiuſdem rationis & conſidera-

derationis;& propterea ſcientia, quæ vnius eſſentiam cō ſiderat, tenetur conſiderare eſſentiam alterius. Si autem intellectus non eſſet ſubſtantia à materia non pendens, ratio Ariſtotelis leuiſſima eſſet, quia non amplius eſſent eiuſdem naturæ, conditionis, & abſolutę cōſiderationis, vt eſſe debent propriè ſumpta relatiua, quorum eſſentia ad eandem ſcientiam pertinet, de quibus philoſophus loquitur, vt eius oſtenſio neceſſitatem includat, Colligamus itaque: ea forma, quæ ad uerè intelligibilia refertur, cuius eſſentia ſi ad phyſicum attineret, non amplius daretur ſcientia diuina, eſt abiuncta à materia, & immortalis: Vis intelligēdi hominis ex ſententia Ariſtotelis eſt huiuſmodi: Vis itaque intelligendi hominis eſt diuina, abiuncta, & immortalis.

Ratio tertia ex eodem primo de partibus Animalium deprompta. Cap. IIII.

RATIO ſecunda, qua philoſophus utitur ad oſtē dendum intellectnm non attinere ad Phyſicum, hæc eſt. Intellectus non eſt natura, non itaque ad Phyſicum pertinet. Probatur aſſumptum: quia intellectus non eſt initium motus, non enim eſt initium motus accretionis, cum id ſit munus nutrientis animæ; non alterationis animalium, ea enim ad ſenſum pertinet; non lationis, quia ea etiam iumentis & feris competit, quibus non competit intellectus. Hæc eſt oſtenſio Ariſtotelis in qua primò eſt conſideranda uis eius; ſecundò manifeſtandum, quomodo ex ea colligamus intellectum eſſe abiunctum & immortalem. Dum dicimus, intellectus non eſt natura, ideò ad phyſicum non attinet: conſequentia eſt nota, quia phyſica eſt ſciētia de natura, & eas ſolas ſubſtantiæ formas conſiderat, quæ naturæ ſunt.

Dum probatur aſſumptum, quia non eſt initium motus ideo non eſt natura:id quoque patet per locum à definitione ad definitum. Ex qua oſtẽſione hoc colligo, etiam formas mixtorum eſſe initia motus, quod multi minus rectè inficiantur: nam ſi non eſſent initia motus, nec naturæ eſſent, nec ad naturalem pertinerent ex ratione Ariſtotelis. At progrediamur vlterius, probat philoſophus intellectum non eſſe initium motus in loco ſiue lationis, quia cætera animalia mouentur eo motu, & tamen carent intellectu. De hoc duplex occurrit dubitatio. Prima attinet ad concluſionem, quoniam philoſophus in 3. de Anima aſſerit intellectum eſſe initium motus. Altera eſt de medio, nam dicam cætera Animalia moueri per ſuam animam, hominem verò per intellectum; ut ignis per ſuam formam mouetur, terra verò ab igne diuerſa per aliam formam. Ad primam difficultatem inquiunt nonnulli Ariſt. ſibi non contradicere, quia in 3. de anima per intellectum denotauit phantaſiam, non Dianiam de qua modò loquitur. Et id uolunt colligi ex contex. 48. tertij de anima, vbi inquit philoſophus, uidentur duo hæc mouentia, aut appetitus aut intellectus, ſi quis phantaſiam ponat ut intellectionem quandam, &c. At qui hoc dicunt, manifeſtiſſimè aduerſantur Ariſtot. nam in cont. 49. inquit, rationabiliter hæc duo videntur mouere, appetitus, & intellectus practicus; at intellectus practicus non eſt phantaſia, non enim praxis ad phantaſiam pertinet, ſed ad intellectum, qui rationis eſt compos. Inſuper clarius in contex. 50. ſe declarat, ubi inquit intellectum non mouere ſine voluntate; at intellectus, qui per uoluntatem operatur, non eſt phantaſia, non enim ad eam attinet voluntas, ſed ad intellectum propriè ſumptum. Adhuc etiam lucidius ſe explicat in cont. 51. ubi loquens de eo intellectu, quem dixit initium motus,

Formæ mixtorum ſunt initia motus.

Dubitatio prima.

Secunda.

Aliquorũ ſolutio ad primam.

Reiectio huius opinionis.

tus,inquit;intellectus igitur omnis rectus eſt, appetitus autem,& phantaſia recta,& non recta. Inſuper in contextu 53. etiam ſeipſum declarat, manifeſtando quomodo intellectus dicatur initium motus. Sed in re conſpicua non eſt diutius immorandum. Locus ex 48.context. deſumptus,quo innituntur, manifeſtiſsimè eis aduerſatur nam inquit Ariſtoteles,videntur duo hæc mouentia;aut appetitus,aut intellectus.Et quoniam nedum intellectus diſtinctus à phantaſia eſt initium motus, verum etiam phantaſia:ideo addit, ſi quis phantaſiam ponat vt intellectionem,quaſi dicat, intellectus eſt commune initium motus,accipiendo nomen intellectus latè,vt ſub ſe continet nedum intellectum practicum, verùm etiam phantaſiam. Sic intelligi debet ille locus, vt ſemetipſum explicat Ariſtoteles, & exponunt Græci expoſitores. Alij inquiunt Ariſtotelem in primo de partibus loqui de intellectu contemplatiuo, qui non eſt initium motus, in 3. autem de anima loqui de practico, qui initium motus eſt:ſed hi quoque manifeſtè falluntur. Primò, quoniam ratio Ariſt. in primo de partibus vim habet de vtroque intellectu: inquit Ariſtoteles eum non eſſe initium motus,quia iumenta ſine eo mouentur,at iumenta etiam carent intellectu practico, & eorum phantaſia intellectui humano proportione reſpondens habet aliquid ſimile contemplatiuo intellectui, & aliquid ſimile practico, eſt enim initium cognoſcendi & mouendi;reuera tamen intellectus practicus in eis non eſt. Accedit,quòd dum conſideramus an aliqua forma ſit natura, non hunc vel illum operandi modum reſpicimus, ſed abſolutè gradum & conditionem eius; & præſertim, dum conſideramus, an ad phyſicum pertineat. Propterea vt appareat ſolutio apparentis contradictionis in Ariſtotele, ad ſecundam difficultatem progrediamur, ex cuius ſolutione ap-

Aliorũ opinio reijcitur.

Solutio ſecundæ dubitationis.

parebit ſolutio primę. Ad ſecundam itaque difficultatem

Aliquorũ opinio reijcitur.

inquiuut nonnulli, iuſtitutum Ariſtotelis eſſe oſtendere quòd intellectus non ſit initium adæquatũ motus. Sed hi inanẽ reddunt oſtenſionẽ Ariſtotelis; quia non valet hęc conſequentia, hęc forma non eſt initium adęquatum motus, ergo non eſt natura: vt forma ignis non eſt initiũ adæquatum motus recti, ergo non eſt natura: non ſequitur: nõ enim, vt forma ſit natura, requiritur vt ſit initiũ adæquatum motus, ita enim nulla forma indiuidua, uel in ſpecie ſumpta eſſet natura: ſed hoc requiritur, vt ſit initium proximum motus, non ita proximum, vt non vtatur inſtrumentis, ſed vt non moueat per aliam formam ſubordinatam magis propriam materiæ.

Inſtantia.

Reſponſio

Et ſi quis dicat, intelligẽtiæ cœli proximè mouent cœlum, nec propterea ſunt naturæ. Hæc inſtantia nulla eſt: quoniam vt forma ſit natura, requiritur vt proximè moueat; at nõ cõuertitur, quòd omnis forma proximè mouens ſit natura; quoniam etiã alia requiruntur, nempe vt à materia pendeat, & ſic interna ſit vt dicitur ab Ariſt. in 2. phy. capite de natura.

Solutio primæ dubitationis. Intellectus quomodo ſit principium motus.

Dicamus itaq; ad apparentem contradictionem, dum Ariſtoteles ait intellectum non eſſe initium motus manifeſtat non eſſe initium proximum, vt eſt natura: dum in 3. de anima & in libro de motu animalium aſſerit intellectum eſſe initium motus, ipſe declarat ſemetipſum; quia eſt initium remotum, & non mouet, niſi per mediam imaginationem, & per mediam naturam. Ideo dixit in contex. 56. appetitum eſſe initium motus, at eum non mouere ſine phantaſia, vel rationali vel irrationali: dum enim phantaſia, ab intellectu dirigitur, rationalis eſt. Sic itaque vt itnellectus ſit initium adæquatum vel non adæquatum motus, ad rem non facit: conducit ſolùm Ariſtoteli, vt non ſit initium proximum, quia ſic non erit natura.

Inſtantia.

Verum quis inſtabit; quoniam Ariſtoteles probans intelle-

ctum

ctum non eſſe initium lationis, inquit cætera animalia eo motu moueri, cùm tamen careant intellectu: ea ratio uidetur oſtendere non eſſe initium adæquatum, non autem non eſſe initium proximum. Reſpondeo oſtenſionem Ariſtotelis hoc probare, quòd non ſit initium proximum motus: quoniam gradus animæ ſunt huius conditionis, ut id quod proximè pendet ab uno gradu, non pendeat ab alio; ut nutritio pendens ab anima nutriente, non dicitur à ſentiente proximè pendere: ideo cum latio competat animalibus ſine intellectu, colligimus eam proximè ab intellectu non pendere. Ex oſtenſione itaque Ariſtotelis rectè explicata colligimus intellectum humanum eſſe diuinum, & immortalem: nam ea forma, quæ nõ eſt natura, eſt abiuncta & immortalis; intellectus hominis non eſt natura, eſt itaque forma diuina & immortalis. Minor cumulatè eſt oſtenſa: Maior ex Ariſtotele colligitur, qui in 2. Phyſi. contex. 12. inquit formam rerum naturalium, quæ ſeiungi à materia non ualet niſi ratione, eſſe naturam; & in cõtextu 14. inquit eam formam eſſe naturam, quæ eſt terminus generationis: cum itaque intellectus non ſit natura, non eſt terminus generationis, neque eſt ita complicatus cum materia, ut ſeiungi non ualeat & propterea ęternus & immortalis eſt. Reſponſio

Ratio quarta ex primo de partibus Animalium deſumpta. Cap. V.

POSTREMA ratio, qua utitur philoſophus ad oſtendendum quòd humanus intellectus ad phyſicum non pertineat, hæc eſt. Nil eorum, quæ ſunt ex abſtractione, eſt phyſicæ conſidrationis, intellectus itaque non eſt phyſicæ conſiderationis. Aſſumptum eſt conſpicuum: quoniam phyſicus

ſolùm

ſolùm conſiderat pertinentia ad corpora phyſica, quæ materiam & tranſmutationem includunt. Pro deductio ne conſequentiæ accipiendum, in rebus conſiderari triplicem ordinem, quædam ſunt coniuncta cum materia ſecundum eſſe,& conſiderationem;alia ſunt coniuncta ſecundum eſſe,at per intellectũ ſeiunguntur,& hæc dicuntur ἐξ ἀφαιρέσεως, hoc eſt ex abſtractione, qualia ſunt mathematica; demũ dantur abiuncta,in quibus uerſatur diuinus. Ariſtoteles oſtenſurus intellectum non attinere ad phyſicum, pro medio accipit id quod eſt proximius conſiderationi phyſicæ,nempe quod eſt ex abſtractione, ut ſimul excludat & hæc,& ea,quæ abiuncta ſunt. Ex his patet uis rationis ſupra formatæ, dum dicebatur, nil eorum, quæ ſunt ex abſtractione, eſt phyſicæ conſiderationis: quare intellectus non eſt phyſicæ conſiderationis. Supponit enim hæc conſequentia intellectum eſſe abiunctum, & non pendere à materia: cum enim non ſit res mathematica,& ex abſtractione ut mathematica,neceſſariò ſequitur vt ſit forma abiuncta: alioquin conſequentia nulla eſſet. Ex hac itaque ratione manifeſtè colligitur Ariſtotelem putaſſe humanum intellectum eſſe rem diuinam & immortalem. Qui nituntur uim ſubterfugere huius oſtenſionis, inquiunt Ariſtotelem non amplius de humano intellectu verba facere, nec tertiam formare oſtenſionem; ſed tranſire ad res mathematicas, & oſtendere eas ad phyſicum nõ pertinere:ut appareat,quęnam ea ſint, quæ ad phyſicum pertinent. Hi rectè ſentire non uidentur, nam modus loquendi Ariſtotelis indicat nouam formari oſtenſionem:ea ſic leguntur,ad hęc autem & cæt. Inſuper ad quid confert excludere mathematica à conſideratione phyſica? iam enim in 2.phyſicorum manifeſtauerat,in quibus uerſetur phyſicus;hoc autem in loco ſolùm conſiderabat, quæ cauſæ animalium

Triplex ordo in rebus.

Aliquorũ reſponſio.

Reiectio huius reſponſionis.

aſſi-

aſſignandæ ſint: ideo tranſitus ad mathematica ad rem non faciebat. Hoc patet manifeſtiſſimè ex verbis ſubſequentibus, dum inquit: uidetur autem ut ars in artificioſis, ita in rebus ipſis aliquod eſſe principium aliud, & talis cauſa, quam ex uniuerſo, perinde ut caloris frigorisq; primordia habemus, quamobrem ueriſimilius dixerint cœlum factum eſſe ab eiuſmodi cauſa, ſi factum eſt & cæt. In quibus uerbis Ariſtoteles ſumpta occaſione à diuinitate & abiuncta cõditione noſtri intellectus, infert in uniuerſo debere abiunctas ſubſtantias inueniri; & ab huiuſmodi fuiſſe factum cœlum, ſi factum eſt; quæ nullo pacto cum præcedentibus cohærerent, niſi in eis quoque de abiuncta & diuina cõditione noſtri intellectus uerba feciſſet. Patet itaque ex omnibus rectè explicatis inſolubiliter colligi ex ſententia Ariſt. humanum intellectum abiunctum & immortalem eſſe.

Perduntur loca ex primo de Anima. Cap. VI.

PHILOSOPHVS in primo de anima differẽs contra Platonem aſſerentem animam ſe mouere, incidens in ſermonem de intellectu inquit in contex. 65. Intellectus autem uidetur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi, maximè enim interiret ob eam quæ eſt in ſenio imbecillitatem; nunc autem, ut euenit in inſtrumentis ſenſuum, ſi accipiat ſenex oculum iuuenis, uidebit vt iuuenis. Propterea ſeniũ non eſt, quia ſubſtinuit aliquid anima, ſed id in quo, ueluti euenit in ebrietatibus, & ægritudinibus. Ipſum itaque intelligere & ſpeculari marceſcit alio quodam interius corrupto, ipſe autem perpeſſionis eſt expers. Et poſt pauca: Intellectus autem fortaſſis diuinius quid, & perpeſſionis eſt expers. Hæc de hominis intelle-

tellectu protulit philoſophus, ex quibus colligimus Ariſtotelem ſtatuiſſe eum immortalem: nam inquit, intellectus videtur ἐγγίνεσθαι.i.innaſci. In 2. de generatione animalium cap. 3. diuidit innaſci per aduenire extrinſecus, & intrinſecus educi: ibi ait extrinſecus accedere, hic loco eius inquit non corrumpi; nam ſi non interit, non educitur è potentia materiæ. Quòd non intereat, probat inquiens, maximè interiret ob eam, quæ eſt in ſenio, imbecillitatem. Hæc ratio eſt ſimilis ei, qua utitur Plato in 10. de Repub. dum inquit, ſi anima interiret, uel proprio uel alieno malo periret: non ſuo, quia caret contrario, quod ut notum ſupponit: non alieno, de quo maximè uidetur, & hoc probat Ariſtoteles, quia maximè interiret ob eam, quæ eſt in ſenio, imbecillitatem; at ob eam nedum intellectus, immo nec ſenſus interit: nam ſenſus eſt ſubſtantiæ forma, quæ nec magis nec minus recipit, ſolùm minuuntur illæ potentiæ, quæ accidentia ſunt, & ex temperamento inſtrumenti prodeunt: ideo ſi ſenex reciperet oculum iuuenis, reciperet facultatem inſtrumenti, & uideret ut iuuenis: non itaque in ſenio remittitur eſſentia animæ, ſed ſolæ facultates, quæ accidentia ſunt, vt patet exemplo ebrietatum & ægritudinũ, quo utitur Philoſophus; ideo ſtatim quòd ſanatur corpus, uidetur anima bene ſe habere. Sic itaque eſſentia intellectus alieno malo, nempe corporis non leditur, ſed ſolùm pereunt functiones munerum eius ob indigentiã

Inſtantia. eorum, quæ ex corpore pendent: at ea eſt diuinũ, aliquid,

Reſponſio & perpeſſionis expers. At dices, ita etiam ſequitur ſenſum non interire: Reſpondeo, de ſenſu non ſequitur; interit enim ſenſus proprio malo, quia habet contrarium, hoc eſt priuationem in materia ſibi oppoſitam, & formã ſibi ſuccedentem & antecedentem, quæ unà ſeruari non valent, & hoc manifeſtè patet, cum ſit inſtrumentarius.

Sic

Sic cenſeo ſententiam Ariſtotelis explicandam, quamuis longè ſecus expliceturab alijs. At obijciet fortè aliquis:quoniam ſi ita exponitur ille locus,ſequeretur quòd Ariſtoteles peteret in principio quod oſtendere debet: ſupponeret enim intellectum non pendere à materia, & carere contrario, quod præſertim oſtendendum fuit. Ad hoc dico præcipuum inſtitutum Ariſtotelis eo in loco nō fuiſſe oſtendere intellectum eſſe immortalem, nam id ut conſpicuum ſupponit ex oſtenſis alibi: ſed ſolùm ſoluit apparentem quandam inſtantiam, quæ afferri poſſet ex eo, quia conſpicimus in ægritudinibus & in ſenio delirare homines,& reddi mentis impotes: ideo hanc inſtantiam nullius eſſe momenti patefacit. Nec poſſumus vim horum verborum ſubterfugere dicendo, quòd Ariſtotelis ſermo ſit de intellectu agente, quem ſectatores Alexandri cenſent eſſe Deum: nam quis adeò ſtupidus eſt, vt dubitet, an Deus intereat ad interitum noſtri corporis? Præterea de eo intellectu loquitur Ariſtoteles, cuius officium eſt eſſe initium, per quod homo ratiocinatur & intelligit, vt patet ex verbis eius: hoc principium non eſt Deus,ſed eſt ea particula animæ, de qua differendum proponit in primo contextu tertij de anima. Neque dicendum, quòd Ariſtoteles non loquatur de interitu abſolutè, ſed de eo tantùm, qui eſt à contrario, ut inquit Portius: nam quomodo abſolutè intuliſſet eum eſſe quid diuinius,& perpeſſionis expers, & ſolùm marceſcere contemplationem & actum intelligendi? Inſuper ſtatim in primis verbis ſupponit non deſtrui à contrario, ſed ſi interire deberet,maximè videretur interire per interitum corporis,per quem tamen minimè interit,ut oſtendit. Hanc veritatem confirmauit Ariſtoteles in eodem primo de anima contex.82. inquiens,fieri nequit ut aliquid ſit melius & præſtantius anima, & longè minus intellectu: ma-

Inſtantia.

Reſponſio

Reſponſio Alexādreorum.

Reiectio huius reſponſionis

Portij ſolutio reijcitur.

Dd ximè

ximè enim rationi conſentaneum eſt hunc προγενέστατον hoc eſt antiquiſſimum eſſe,& per naturam dominum,&c. Maniſeſtiſſimè aſſerit Ariſtoteles intellectum eſſe immortalem, & utitur modo loquendi Platonis, in Phedone qui animam corpore antiquiorem aſſerebat. Inſuper in contextu 92. inquit, quam partem, aut quomodo intellectus in corpore continebit, difficile eſt etiam fingere, &c. Per quæ uerba manifeſtat intellectum non eſſe inſtrumentarium, nec alicui parti eſſe deſtinatum, ex qua pendeat: & hoc de ſolo intellectu dicit, non de alijs animæ partibus, cęteræ enim corporeæ & inſtrumentariæ ſunt. Hinc exploditur euaſio Portij, qui inquit intellectum non continere aliquam partem, adeò ut ſit loco ſeiunctus ab alijs partibus, ut exiſtimauit Plato, qui partes animæ loco ſecernebat. Sed hæc euaſio ex eo inanis apparet, quia hoc non eſſet quid proprium intellectus, ſed quid commune cum alijs partibus animæ: at Ariſtoteles de ſolo intellectu ait, quam partem, aut quomodo intellectus in corpore continebit, difficile eſt etiam fingere.

Portij error.

Verba undecimi contextus ſecundi de Anima perpenduntur. Cap. VII.

ANIMA definita fuit, quòd ſit prima perfectio corporis inſtrumentarij. Et quoniam ex ea definitione minus rectè aſſumpta potuiſſet aliquis accipere nullam animæ partem à corpore ſeiungi poſſe, ſed unà cum corpore interire: ideo philoſophus in contex. 11. vt hanc erroris occaſionem remoueat, inquit animam ratione aggregati ex omnibus partibus, ac etiam ratione quarundam partium, quæ inſtrumentariæ ſunt, non poſſe à corpore ſeparari; at ratione quarundam partium, quæ inſtrumentariæ non ſunt, hoc

eſt

eſt ratione intellectus nil prohibet ſeparari; & ſi nil prohibet, etiam eſt neceſſe vt ſeparentur, quia in æternis attinentibus ad vniuerſi conſtitutionem non differt eſſe à poſſe tertio Phyſic. 32. Et quoniam etiam intellectus, quamuis nulla parte ut inſtrumento utatur, attamen modo aliquo dicitur perfectio corporis inſtrumentarij, & ei conuenit animę definitio, cum ſit eminentioris hominis perfectio: ideo, ut remoueatur etiam hæc inſtantia, addit. Amplius manifeſtum non eſt, an anima ita ſit perfectio corporis, ut nauta eſt perfectio nauis, & ex naui nan pendent. Profectò hæc dicuntur ab Ariſtotele de eo intellectu, qui animę eſt particula, cui etiam conuenit modo aliquo definitio animæ. Neq; eſt dicendum, quòd Ariſtoteles dicat intellectum poſſe ſeparari, quatenus non utitur organo, & eius actio non eſt coniuncta cum actione corporea, ut inquiunt nonnulli: nā ſi Ariſtoteles hoc denotaſſet, tūc concluſio non eſſet diuerſa à medio termino: probat enim quòd nil prohibet ut ſeparetur, propterea quòd nullius corporis eſt actus. Colligamus itaque: ea animæ pars, quę nullius inſtrumenti corporei eſt actus, poteſt à corpore ſeparari: humanus intellectus eſt huiuſmodi; nil itaque prohibet, ut à corpore ſeparetur, & ſi nil prohibet etiam eſt neceſſe ut ſeparetur: nil enim ex accidenti eſt corruptioni obnoxium, ut dicitur in 10. Metaph. 26. & in attinentibus ad mundi perfectionem, ea quæ poſſunt eſſe, etiam ſunt.

Perpenditur contextus xxi. Cap. VIII.

IN ſecundo de Anima 18. contextu dictum eſt animam terminari & finiri facultate nutriendi, ſentiendi, dianoëtica ſiue intelligendi, & mouēdi: de his oritur dubitatio, an ſint animæ integrę, uel par-

tes:& ſi ſunt partes an in eodem animali ſint loco ſeiunctę, vt Plato putaſſe viſus eſt, uel potius ſint ſeiunctæ non loco, ſed ſola ratione. De nõnullis facile eſt uidere, quòd loco non ſeiungantur, nonnullæ difficultatem includunt. Facile id eſt videre de nutriente, ſentiente, & mouente; quod patet exemplo animalium, quæ inſecta nuncupantur: quæ ſi diuiduntur, in quauis eorum parte & ſenſus & motus apparet, & ſi ineſt ſenſus, ineſt & vis imaginãdi & appetendi: de his itaq; conſtat, quòd loco non diſtinguãtur. Mox manifeſtans, quæ difficultatem includunt, inquit. De intellectu & contemplatrice facultate nihil adhuc manifeſtum eſt, ſed uidetur genus aliud animæ eſſe, & id ſolum contingere ſeparari, ut perpetuum à mortali. His uerbis Ariſtoteles intellectum eſſe immortalem manifeſtat: nam inquit de eo nil eſſe manifeſtum adhuc, qua tenus ſcilicet attinet ad ſeparari uel non ſeparari loco ab alijs, ut reſpondeat uerbis ſupra prolatis, dum dixit nonnullas partes difficultatem includere. Inſuper nil eſt ad huc manifeſtum, quia in tertio libro eius conditio latius manifeſtabitur. Addit, ſed uidetur genus aliud animæ eſſe; iurè eſt genus aliud, quia æternum differt genere à mor tali, ut dicitur in calce 10. Meth. Inſuper eſt aliud genus, quia hęc ſola eſt indiuidua, neque eſt per corpus extenſa: & quia eſt aliud animæ genus, ideo ſolùm poteſt à corpore ſeparari, non ut accidens à ſubiecto cum ſui interitu, ſed ut æternum à mortali. At perpendamus, quomodo Alexandri ſectatores nitantur huic auctoritati ſatisfacere. Alexander referente Simplicio, conſiderauit quòd Ariſtoteles loquitur cum dubitatione, non abſolutè: inquit enim, uidetur, & quod ea uox uidetur indicet dubitationẽ, non autẽ, eſſe conſpicuũ manifeſtè credidit per uerba ſuccedẽtia, inqt enim, nihil adhuc manifeſtũ eſt. Sed hæc euaſio nulla eſt; quoniam Ariſt. inquit, uidetur, non quia

Alexandri reſponſio impugnatur.

dubitet,

dubitet, ſed quia hic nō eſt locus proprius neq; adhuc id demonſtrauit, ideo inquit, nil adhuc manifeſtū eſt: quaſi dicat quòd in 3. li. ut in loco proprio, manifeſtabitur. Vt verò pertinet ad hūc locū, ſi reſpicimus ad eius opera & cōditiones, uidetur & apparet aliud animę genus, in 3. autē libro abſolutè oſtēdit eſſe genus aliud. Propterea alij aliter ſoluēdo inquiunt Ariſtotelem loqui uel de intellectu agente, uel de intellectione, non autem de intellectu hominis, qui poteſtate eſt. Confirmant hanc ſuam ſententiam, manifeſtando quòd ea uerba nō debeant referri ad hominis intellectum, qui Diania uel Dianoëtica facultas dicitur; quoniam in cont. 22. inquit Ariſtoteles, de reliquis animę partibus patere, quòd non loco, ſed ſola ratione diſtinguuntur; quia ſentiendi, & opinādi facultatū aliud eſt eſſe: at, inquiunt, opinio attinet ad facultatē Dianoëticam, quare ea uerba 21. context. non debent intelligi de facultate Dianoëtica. Idipſum clarius patet ex context. 32. ubi cum prius dixiſſet dianoëticam facultatem in homine eſſe poſtremam, & quòd quibus mortaliū conuenit ratiocinandi facultas, ei reliquę partes conueniūt, addit: de contemplatrice autem intellectu alia ratio eſt, &c. Ex his patere cenſent uiri Clariſſimi, ut Madius, Portius, & alij, Ariſtotelem per intellectum contemplatricem nō denotare partem aliquam animę noſtræ. Sed maximè falluntur: Primò, quia cum Ariſtoteles de intellectu & contemplatiua potentia dixiſſet, quòd poteſt ſeparari ut ęternum à mortali, addit; Reliquę autem partes animę manifeſtum, quòd ſeparari nequeunt: per quæ uerba oſtendit etiam potentiam contemplandi eſſe partem animę. Prętere a cum dicat de intellectu & contemplandi potētia, &c. manifeſtat ſe non de intellectione, ſed de intelligendi facultate uerba facere. Inſuper, niſi denotaret animæ noſtræ partem, ſed uel Deum, uel intellectionem, tunc Ariſto-

Aliorum euerſio cōfutatur.

Madij & Portij error.

Ariſtoteles non ſolueret difficultatem propoſitam; ipſe enim primò numerauit animæ partes, mox de nonnullis earum dixit petere, quòd non diſtinguantur loco, de nonnullis verò eſſe dubium; & manifeſtans de quibus id ſit dubium, dixit de intellectu & contemplandi facultate &c. Præterea cum Ariſtoteles in contex. 32. dicat, quibus mortalium conuenit ratiocinandi facultas, conueniunt etiam reliquæ partes animæ, manifeſtiſſimè indicat per ratiocinandi facultatem ſe eam vim denotare, quæ etiam diuinis conuenit: huiuſmodi eſt vis intelligendi, alioquin fruſtra adderet illam limitationem dicens, quibus mortalium, &c. Ad fundamenta alterius partis dico, cunctas facultates ad animam pertinentes redigi ad tres præcipuas, uidelicet ad nutrientem, ſentientem, & intelligentem, ut patet ex primo de partibus animalium, & ex 2. de anima contex. 18. uis enim mouendi ad ſentientem, ut ad initium proximum redigitur. Verùm intelligendi uis vario modo ſe habens, varijs nominibus deſignatur: ut enim magis complicatur cum imaginatione, & rebus indiuiduis & corporeis, nuncupatur uis ratiocinandi, uis opinandi, & intellectus practicus: ut uerò magis ſupra corpus & ſupra hominem per diuinam ſuam conditionem eleuatur, & cum intelligibili abiuncto per ſuam naturam abiunctam coniungitur, nuncupatur contemplandi facultas; ratione cuius ei maximè conuenit ſeiunctio à corpore, & quod ſit immortalis. Hoc denotauit Ariſtoteles in 3. de anima cont. 11. inquiens: omnino itaque ut ſeparabiles ſunt res à materia, ſic & quæ circa intellectum. Ex his patet ſolutio ad fundamentum deſumptum ex contextu 32. Ad aliud quoque ſumptum ex contex. 22. ubi de opinione fit mentio tamquam de diſtincto ab intellectu & contemplandi potentia; per eadem manifeſta eſt ſolutio. Inſuper addo duplicem dari opinio-

Fundaméta contraria reſoluuntur.

Intelligendi facultas uario modo ſe habens uariam ſuſcipit dominationem.

opinionem,unam ex ratione pendentem,alteram ſine ratione: prima ad intellectum pertinet, altera ad phantaſiam. Diſtinctionem hanc tetigit Ariſtoteles in 3. de anima contex. 57. inquiens, quòd Phantaſia non uidetur habere opinionem; quoniam non habet eam, quæ ex ſillogiſmo pendet. Simplicius eo in loco rectè eam diſtinctionem explicauit. Colligamus itaque ex eo loco rectè expoſito colligi intellectum eſſe abiunctum,& immortalem. Propterea in contex. 151. eiuſdem libri ait ex ſententia Empedoclis & Homeri, intellectum pariter & intelligere eſſe quid corporeum, non ſecus ac ſentire: quod ipſe maximè abſurdum exiſtimat.

Ex tertio de anima colligitur intellectum eſſe æternum. Cap. IX.

VT cumulatius ſententiam Ariſtotelis colligere ualeamus, ad tertium de anima progrediamur: in quo libro ex inſtituto de intellectu humano, ut animæ eſt particula, differendum proponit. Et cum primò manifeſtaſſet id, quod eſt ei commune cum ſenſu, in 4. contextu, quæ ſunt eius propria, incipit patefacere; accipiens pro principio, intellectum omnia intelligere: ex quo infert, quòd eſt neceſſe ut mixtus nõ ſit. Probat conſequentiam auctoritate Anaxagorę, qui dicebat mentem illam, quam chao dominari aſſerebat, ſolam eſſe mixtionis expertem, ut dominaretur, hoc eſt ut intelligeret. Et quoniam auctoritate antiquorum nunquam utitur, niſi ea ſit cõſentanea rationi ideò propriam addens rationem inquit: quod enim intus appareat, prohibet alienum, & obſtruit. Hæc Ariſtoteles, per quę incipit nobis oſtendere intellectum eſſe diuinum

uinum & immortalem, quatenus vtitur auctoritate Anaxagoræ. Nam Anaxagoras putans cætera omnia eſſe in chao permixta, ſolam mentem ſimplicem, mixtionisque expertem affirmabat: idque eſſe neceſſarium aſſerebat, cum vt intelligendi, tum vt mouendi eſſe principium, idque apparet ex primo de anima 31. Ariſtotelès de vtriſque cum commendat: primò aſſerit cum Anaxagora in 8. Phyſico 37. primam mentem iurè eſſe initium motus, quia & mixtionis & perpeſſionis eſt expers: ſecundò aſſerit in hoc contextu, ob eandem cauſam omnia intelligere. At perpendamus, quomodo Anaxagoras intellectum ſimplicem & non permixtum ſtatuebat. Proculdubio ita mixtionis ſtatuebat expertem, vt abiunctus ab omni materiæ labe eſſet, interitu careret, & nil cum alijs haberet commune: ſic explicatur ab Ariſtotele nedum in locis ſuprà relatis, verùm etiam in primo de anima contex. 34. & in hoc 3. contextu 12. Et hac ſæpe repetita approbatione ſententiæ Anaxagoræ luce clarius colligimus Ariſtotelem putaſſe intellectum æternum, & immortalem: nam approbat quòd ſit mixtionis expers, quòd ſit ſimplex, quòd nil habeat commune cum alijs, quòd ſit immobilis, quòd non patiatur vt exiſtimabat Anaxagoras: quæ omnia manifeſtiſſimè indicant eſſe æternum, & immortalem. Nec vlla via valent ſectatores Alexandri ſubterfugere vim huius rationis. Nam ſi inquiunt Anaxagoram tunc denotaſſe Deum, id erit approbatio noſtræ ſententiæ: quia Ariſtoteles ea prædicata diuinitatem & æternitatem præſeferentia, noſtro intellectui conuenire affirmat. Nec dicere valent, quòd Ariſtoteles ea prædicata tribuat intellectui agenti: quoniam non de agente, ſed de poſſibili intellectu modò eſt eius ſermo: Pariter in contex. 12. necnon in primo de anima, ut conſpicuum eſt, cum hactenus non probarit dari intellectum agẽtem:

Anaxagoræ opinio de ſimplici intellectu.

Euaſiones Alexãdreorum euertuntur.

& in

& in contex.5. manifeſtiſſimè patefacit ſe loqui de eo intellectu, qui poteſtate eſt. Approbatio itaq; ſententiæ Anaxagoræ in omnibus ſupra enumeratis prædicatis, & aſſertio, quòd ea quoque noſtro intellectui vere conueniat, eſt manifeſta approbatio æternitatis humani intellectus. Eadē veritas, vt rectè cōſiderauit Auerroes cōſpicue colligitur ex ratione Ariſtot. in eo contextu formata quæ hæc eſt. Omne recipiens ab eo debet eſſe denudatū, à quo tanquam ab obiecto mouente, & proprio debet moueri, & quod debet per ſe recipere; at obiectum mouens humanam mentem, natura in ea per ſe recipi, eſt genus materiatarum formarum, quare humana mēs nec eſſe debet, nec valet ſui natura includere aliquam ex materiatis formis, alioquin idem eſſet per ſe mouens, & motum, per ſe recipiens, & receptum, & demum obiectum per ſe, & facultas cui tanquam obiectum reſponderet; quæ apprimè ſunt abſurda. Si autem non poteſt eſſe materiata forma, neceſſe eſt ut ſit forma à materia non pendens, & ob id ęterna, & immortalis.

Perpenditur ſextus contextus. Cap. X.

DIXERAT Philoſophus intellectum eſſe mixtionis expertem: Et quoniam intellectus duplici caret mixtionis genere, primo cum obiecto altero cum corpore & materia, de primo præſertim in præcedentibus verba fecit: quod colligitur ex eo, quia natus eſt intelligere omnia: & ex eo ſequitur, quòd ſit omnia poteſtate. De altero loquitur in contex.6. ideo inquit: Propterea rationi conſonum eſt, ipſum non eſſe mixtum cum corpore. Quam ſententiam primò ex eo probat; quia omnis forma cum corpore mixta, & à materia pendens ſubijcitur affectionibus corporis, & fit

Intellectus duplici caret mixtione.

calida & frigida, quæ ſunt initia alterationis, ortus, & interitus: at intellectus nec calidus fit, nec frigidus: non itaque eſt cum corpore mixtus: & hæc ratio ſumitur ex eo, quod eſt commune vniuerſo generi formarum à materia pendentium; omnes enim huiuſmodi formæ ex euentu redduntur calidę vel frigidæ. Altera affertur ratio ſumpta ex conditione propria partium animæ cũ corpore mixtarum: omnis enim huiuſmodi animæ pars eſt prædita inſtrumento aliquo corporeo, vt inductione patet de omnibus, & præſertim conſtat exemplo ſenſuum; at intellectus eo caret; non itaque eſt pars cum corpore mixta: & ex eo, quia nec mixta, nec inſtrumento prædita eſt, colligit rectè eos ſentire, qui animam affirmarunt eſſe locum ſpecierum: Quam ſententiam de ſolo intellectu eſſe veram affirmat, qui dicitur eſſe omnia intelligibilia poteſtate. Hæc Ariſtoteles, ex quibus omnibus intellectum eſſe immortalem manifeſtè colligimus: nam primò cum dicat intellectum non eſſe mixtum cum corpore, ex eo elicitur non pendere à corpore, neque eſſe eductum è potentia materię; nam mixtio formę cum materia nil aliud eſt, niſi quod forma ex materia pendeat Inſuper cum id probet, quia ſi eſſet mixtus cum corpore, afficeretur affectionibus corporis, & fieret calidus vel frigidus, confirmat idipſum: omnis enim forma ex materia pendens afficitur affectionibus eius, & per accidens fit calida vel frigida: quæ cum non conueniant intellectui, iurè ei non competunt initia alterationis, neque vt pendeat à materia, & conſequenter non conuenit interitus: Nam, vt docet Ariſtoteles in primo de ortu & interitu context. 55. ea ſola perpeſſionis ſunt expertia, quæ abiuncta ſunt à materia: cum itaq; intellectus ſit perpeſſionis expers, nec qualis fiat; neceſſariò colligitur vt ſit à materia abiunctus. Præterea idipſum patefacit affirmans,

quòd

quòd ob id ei inſtrumentum non competit: nam forma uel eſt infra facultatem inſtrumentariã collocata, ut formæ inanimorum: uel eſt inſtrumentaria, vt partes mortalis animæ; vel eſt ſupra inſtrumentariam collocata, & huiuſmodi ſunt formæ nõ pendentes ex corpore equarũ de numero eſt intellectus. Demum cũ colligat, propterea rectè ſtatui locum ſpecierum, confirmat eandem ueritatem: nam ſpecies eſt forma, natura, & eſſentia rei, ſi ue ipſum uniuerſale abiunctum à cõditionibus materiæ, cuius conueniens locus non eſt niſi forma à materia abiuncta; nam locus, & locatum debent ſibi mutuò reſpondere: ideo dixit Ariſtoteles in primo cœli 22. iurè cœlum ſtatui locum Deorũ, cum ſit æternum. Ita quoque re à conditionibus materiæ abiunctæ conueniens locus ea ſola forma à materia non pendens; ideo ſolùm intellectus ab Ariſtotele dicitur locus ſpecierum abſolutè. Cũ itaque intellectus non ſit permixtus corpori, non reddatur qualis, nec afficiatur affectionibus corporis, nec utatur inſtrumento, & ſolus ſit locus ſpecierum: inſolubiliter colligimus ex ſententia Ariſtotelis intellectum eſſe diuinum, & immortalem; niſi uelimus cuncta Ariſt. uerba peruertere, & longè ab eorum proprietate ea accipere.

Perpenditur contextus ſeptimus.
Cap. XI.

CONVENIT intellectus cum ſenſu, quia mouentur ab obiecto, & dicuntur pati ſine interitu, & cum ſola perfectione, & propterea abſolutè illæ facultates dicuntur perpeſſionis expertes: attamen differunt, & altiori modo intellectus perpeſſione carent, *Differentia paſſionis ſenſus, & intellectu.*

caret, quæ differentia aſſignatur ab Ariſtotele in 7. contextu: nam ſenſus perficitur à moderato ſenſibili, at à uehementi turbatur & læditur. Intellectus uerò nec à moderato, nec à uehementi intelligibili læditur; immo cum perceperit aliquod ſublime, & apprimè intelligibile, exquiſitius ualet cætera percipere. Ratio differentiæ eſt, quia ſentiendi facultas non eſt ſine corpore: at mens ſeparata eſt. Hęc Ariſtoteles, per quæ eandem ueritatem confirmat. Nam ea perpeſſio, quæ eſt à uehementi obiecto, eſt alteratio & uia ad interitum, propterea cō uenit omni formę materiatæ; ſoli formę non pendenti ex materia non ualet conuenire: nam forma, quæ ex corpore pendet, eſt neceſſe ut ſit obnoxia permutationibus corporis: ideo rectè Ariſtoteles dixit hoc non conuenire menti, quia ſeparata eſt. At ſoluunt uiri docti, & inueniunt Ariſtotelem per hæc ſolùm manifeſtare intellectum non eſſe inſtrumentarium. Addunt inſuper etiam imaginandi uim, poſt imaginationē uehementis obiecti, facilius cætera imaginari. Demum addunt intellectum quoque lædi, & languere ob accuratam uehemētis intelligibilis contemplationem. Sed hæc nullius ſunt momenti: quia dum inquiunt Ariſtotelem ſolùm manifeſtare intellectum carere inſtrumento, hoc dici non poteſt: quoniam carere inſtrumento eſt poſitum vt ſignum eius, quòd intellectus non ſit mixtus cum corpore: dicebat enim philoſophus in contex. 6. ſi mixtus eſſet cum corpore, inſtrumentum aliquod haberet; cum itaque hoc ponatur ut ſignum alterius, non ualemus dicere quòd inſtitutum ſit id oſtendere. Prætereà aliud eſt formam eſſe ſeparatam, aliud eam carere inſtrumento: non diceremus de forma metallorum, quòd ſit ſeparata, de qua tamen dicimus quòd non habet inſtrumentum corporeū. At Ariſtoteles de intellectu aſſerit ſeparatum eſſe. Neque

Aliquorū reſponſio reijcitur.

que per eſſe ſeparatum debemus intelligere eſſe ſeparatū ab inſtrumento: quoniam carere inſtrumento eſt quid diſtinctum ab eo, quod eſt eſſe ſeparatum; multoties Ariſtoteles de forma ſeparata facit mentionem, ſemper denotat ſeparationem à materia, quod prius dixerat non mixtum cum materia. Hoc lucidiſſimè patet ex 19. cōtextu: ubi de intellectu agente tria enunciat prædicata ei cōmunia cum poſſibili, quòd non ſit mixtus, non patiatur, & ſit ſeparatus: ea de agente probat, quia eſt nobilior patiente; & propterea ſi intellectui poſſibili conueniunt, longè magis conuenient agenti: at ibi manifeſtiſſimè denotat ſeparationem & independentiam à materia, quæ prædicata ſi ſecus intelligerentur de poſſibili quàm de agente, medium oſtenſionis eſſet æquiuocum, quod non eſt dicendum. Ad aliam inſtantiam de ui imaginandi reſpondeo; etiam uim imaginandi lædi à uehemēti imaginabili, ut demum imaginamur ea, quæ turbant ſpiritu imaginationi inſeruientes, quod audit ægrotantibus & atrabilioſis, qui imaginantur terribilia, & læditur eorum imaginatio; nam uehemens imaginabile non eſt figura cœli uel quid huiuſmodi, ut minus rectè cenſent nonnulli, ſed quæ uehementer mouent & turbant ſpiritus ei inſeruientes. Ad poſtremum de intellectu, qui etiam læditur, dicendum id ei conuenire ex euentu ratione coniunctionis cum imaginatione: ideo languor eſt in imaginatione, & ſpiritibus ei famulantibus, non in mente: iurè itaque Ariſtoteles intellectum non lædi affirmat.

Ex

Ex alijs contextibus eadem ſententia confirmatur. *Cap. XII.*

QVONIAM ueritati omnia ſunt cōſona, ideo quæcūque Ariſtoteles intellectui tribuit, omnia manifeſtauit diuinam eius & immortalē conditionem: in contextu 9. & 10. intellectui reſpondere affirmat ueluti obiectum proprium eſſentias rerum, quæ munere intellectus à materia ſeiunguntur. Et quoniam obiectum facultati debet reſpondere, & operatio manifeſtat formam, cum obiectum ſit quid abiunctum, intellectus debet eſſe abiunctus; non enim materiata forma cum abiuncta rectè coniungitur: Et cum munus intellectus ſit ſecernere à materia, & eſſentiam accipere derelictis conditionibus materiæ, eſt neceſſe ut ipſe quoque huiuſmodi conditionibus non ſubijciatur: alioquin non ualeret ſine eis aliud apprehendere. In contextu 11. dicitur ut ſeparabiles res à materia, ita quę circa intellectum: nam intellectus homini iunctus, ut intelligendi ſit initium, debet conuerti ad imagines, quæ ei per phantaſiam offeruntur, ex quibus incipit rei eſſentiam ſeiungere; & eò uſque progrediretur in ſeparatione, quouſque ad eſſentiam ſimpliciſſimam deueniat; in qua muneris functione eò magis dicitur corpus derelinquere, & indiuiduam imaginem phantaſiæ, quò magis accedit & eleuatur ad eſſentiam ſimplicem rei, & propterea ſemper dicitur dum operatur cū ea abſtractione cōformari: quę ſeparatio à materia, cum obiecto conueniat munere intellectus, intellectus autem id non habeat ab alio, cogimur fateri, ex ſui natura abiunctum eſſe: quoniam propter quod unumquodq; eſt tale, id magis tale eſt, per intelle-

Obiectum debet reſpondere facultati.

tellectum abſtrahitur vniuerſale, ideo intellectus magis abiunctus eſt: non enim facultas merſa in materia ualet aliud ſupra materiam eleuare. In contex. 12. dubitatur, ſi intellectus eſt ſimplex, & nil habet commune cũ alijs, quomodo patitur? Hæc dubitatio ſupponit intellectum non pendere ex materia: nam id commune, per quod res mutuò pati dicuntur, eſt materia, vt ſæpe oſtendit Ariſtoteles,& præſertim in primo de ortu & interitu 55. cum itaque aſſerat intellectum carere hoc communi, manifeſtiſſimè affirmat ſe declaraſſe intellectum eſſe abiunctum à materia. Hoc clarius patet, quia Ariſtoteles confirmat intellectum eo communi carere per ſententiam Anaxagoræ: at Anaxagoras inquiens intellectum non habere aliquid commune cum alijs, nil aliud denotabat, niſi quòd eſſet abiunctus,& non permixtus cum chao & cum materia. Demum in contex. 16. luce clariorem hanc veritatem patefacit: nam quærit, cur non omnia intelligibilia intelligant. Soluit, quia ſunt materiata: nam ea, quæ ſunt in materia, nõ verè & actu, ſed ſolùm poteſtate ſunt intelligibilia: ideo eis non conuenit vis intelligendi; mẽs enim eſt facultas ſine materia. Hæc Ariſtoteles, quibus nil clarius dici poteſt pro æternitate intellectus: nam manifeſtat verè intelligibilia eſſe ea, quæ intelligunt, non intelligibilia poteſtate; & huiuſmodi aſſerit eſſe intellectum, cum dicat eſſe facultatem ſine materia: hæc ſunt ea intelligibilia, quæ abſolutè dicuntur intelligibilia, & ad intellectum abſolutè conſideratum referuntur, de quibus eſt ſermo in primo de partibus animalium. Neque etiam dicendum quòd dum philoſophus inquit intellectum eſſe ſine materia, ſolùm denotet quòd ſit ſine inſtrumento: quoniam per eſſe ſine materia denotat remotionẽ eius, per quod formæ dicuntur intelligibiles poteſtate: huiuſmodi non eſt inſtrumentum, ſed propriè ſumpta materia,

Materia paſſionis fundamentum.

Inſtantia tacitæ reſponſio.

teria, ut eſt conſpicuum. Non itaque Ariſtoteles ſolum inſtrumentum, verùm materiam omnem propriè ſumptá remouet ab intellectu. Quare cum Ariſt. agens de intellectu, qui eſt poteſtate, & diania ſiue dianoëtica facultas dicitur, ei tribuat quòd non læditur à vehementi intelligibili, non ſit mixtus cum corpore, non fiat qualis ſit locus ſpecierum, ei reſpondeat eſſentia rerum, ſit uerè intelligibilis, ſit ſeparatus, ſit ſine materia, & nil commune habeat cum alijs: niſi omnia velimus peruertere, cogimur aſſerere eum putaſſe intellectum eſſe abiunctum & immortalem. Et cum in contextu 17. incipiat verba facere de intellectu agente, qui re vera eſt idem cum poſſibili, & ſola ratione ac modo ſeſe habendi diſtinctus; in contextu 20. colligit, quomodo eis conueniat æternitas; inquiens ſeparatus eſt, id quod uerè eſt, & id ſolum æternum eſt & immortale: quaſi dicat, uera & propria eius natura eſt ea, quæ ſeparata eſt, & ea ſola æterna & immortalis eſt: quoniam cæteræ conditiones, habitus, & relationes ei conuenientes per coniunctionem cum corpore, omnes incipiunt & deſinunt.

Perpenditur tertium cuput de generatione Animalium. Cap. XIII.

DVBITAT Philoſophus de partibus animæ, & præſertim de mente, quo tempore, quomodo, & unde eas recipiat homo: aſſerit omnes has partes prius conceptibus conuenire poteſtate, quàm actu: ex quo patet ſolutio primæ partis difficultatis, quando ſcilicet eas recipiamus. Pro ſolutione verò aliarum partium, quomodo, & vnde partes animæ recipia-

cipia-

cipiamus,uel cum ante fuerint,uel cum ante non fuerint, uel quia extrinſecus adueniant, uel educantur è potentia materiæ; inquit minimè partes omnes animæ poſſe præcedere, & eſſe ante generationem prolis: id probat, quia multarum operatio non eſt ſine corpore, ideo nec partes illæ animæ ſine corpore eſſe ualent. Ex quo elicit eas non poſſe extrinſecus aduenire,non enim ualent aduenire ſine corpore, cum nequeant à corpore ſeparari; neque unà cum corpore ut puta cum ſemine; quia ſemen eſt excrementum alimenti permutati, alimentum animalis animam non includit, ſed eſt materia illius: ſequitur itaque, ut ſola mens extrinſecus adueniat,eaque ſola diuina ſit; & ratio eſt, quia cum eius actione nil commune habet actio corporis. Hæc Ariſtoteles ex quibus colligimus intellectum eſſe immortalem, tum perpendendo concluſionem, quæ eſt quòd intellectus uenit deforis, quam repetit etiam in capit. 4. eiuſdem libri; tum perpendendo rationem, quia eius actio nil habet commune cum actione corporis; tum demum conſiderando id quod ei tribuit, nempe ut ea ſola pars diuina ſit. Nec dicere ualemus, quòd loquatur de intellectu agente, quem putant eſſe Deum: quis enim adeò eſt ſtupidus, ut de Deo dubitet, an præcedat generationem hominis, uel ex ſemine educatur? Præterea dubitatio Ariſtotelis erat de partibus animæ: ſoluerat de nutriente,& ſentiente,mox de tertia parte ea uerba profert.Longè minus etiam eſt aſſerendum quòd loquatur de actu intelligendi qui dicitur actus ſecundus, ut nonnulli cenſent:quia Ariſt. loquitur de prima generatione pendente à genitura & ſemine, non de operatione ſiue ſecundo actu, ut patet de ortu aliarum animæ partium, de quo loquitur. Inſuper ad id eſt referenda ſolutio, de quo mota eſt dubitatio: dubitabat Ariſtoteles de partibus

Tacitæ reſponſionis ſolutio.

Aliorum reſponſio reijcitur.

animæ, ſiue de actu primo, non de ſecundo. Idipſum patet ex ratione, per quam oſtendit eas poſſe, vel non poſſe extrinſecus accedere. At inquiunt nonnulli Ariſtotelem loqui de virtute & calore cœleſtium corporum, cuius munere mens educitur è potentia materiæ: qui calor extrinſecus accedit, & ratione eius principij etiam mens ab eo pendens dicitur extrinſecus aduenire, quatenus educitur munere eius principij, quod ex cęlo pendet, & extrinſecus aduenit. Et quamuis cœleſtis calor ad omnium animalium generationem conducat, præſertim tamen confert ad generationem hominis, & productionem mentis, ueluti nobilioris: & ille calor vt dicitur venire deforis, ita etiam abſoluta formatione dicitur ſeparari à corpore formato, ut in eodem cap. inquit Ariſtoteles. Hæc viri docti imaginati ſunt, qui nihil prętermiſerunt ex eis, quæ excogitari poſſunt pro uitanda ui huius, & aliarum auctoritatum. Verùm vt ea euaſio maximè pugnat cum ſententia Ariſtotelis, ita maximè confirmat ſententiam noſtram. Nam inquit Ariſt. de mente plurimum dubitat, quo tempore, quomodo, & unde eam recipiant, omnes enim potentia prius haberi quàm actu neceſſe eſt, ſed aut omnes innaſci cum ante non fuerint, aut omnes cum ante fuerint, aut partim cum ante non fuerint, partim cum ante fuerint. Soluens ait, omnes ante fuiſſe dici non poteſt, quia multarum actio eſt cum corpore: reliquum itaque eſt, ut mens ſola extrinſecus accedat, &c. Ariſt. de cęteris animæ partibus probat, quòd non potuerint pręfuiſſe, probat quòd ipſæ formæ, non autem quòd initium generationis earum, non poſſint extrinſecus ſiue cum ſemine, ſiue ſine ſemine aduenire, vt patet ex ratione, quam adducit: De mente ſecus ſe habere affirmat. Quare vult, & mentem præfuiſſe, & eam extrinſecus aduenire: alioquin de uno dubitaret, de alio ſolueret, de uno loqueretur

Aliorum reſpōſio cōfutatur.

tur in ſolutione pro alijs animæ partibus, de alio in ſolutione de mente. Accedit quòd ſi mens eſſet materiata forma, deberet non à principio extrinſecus accedente, ſed à virtute genituræ maris produci: alioquin homo non generaret hominem. Et ſi calorem reſpiceremus à cœlo pendentem, maximè deberemus dicere animas genitorum ex putri materia extrinſecus aduenire, cum non ex ſemine, ſed ex calore cęli diffuſo per elementa producantur. Inſuper Ariſt. dum loquitur de huiuſmodi calore in eodem cap. cum ponit omnibus communem, cum dicat: ineſt enim in ſemine omnium, quod facit vt fęcunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur; idq; non ignis, nō talis facultas aliqua, ſed ſpiritus, &c. His verbis Ariſt. calorem illum, & cœleſtem virtutem omni ſemini communem affirmat: quare ſibimet manifeſtè contradiceret, ſi ratione eius primò diceret ſolùm mentem extrinſecus accedere, mox illam poneret communem omnibus. At inquiunt Ariſtotelem id aſſerere extrinſecus aduenire, de quo mox ait quòd ſeparatur à corpore: at ſeparari à corpore tribuit origini & ſemini animæ, nō animę. Aberrant proculdubio, quia manifeſta eſt ſententia Ariſtotelis, quòd non mentis initium, ſed mens ipſa præexiſtat, & extrinſecus accedat: & de ea rationem attulit, dum dixit, quia nil commune habet cum actione corporis, non de origine ſiue ſemine eius. Dum addunt, quòd ſeparari à corpore Ariſt. tribuit ſemini mentis, non menti. Reſpondeo verba Ariſtotelis tunc eſſe apprimè perplexa & obſcura: nos autem per conſpicua debemus explicare obſcura, non è contra; manifeſtè dixit, & probauit primò mentem extrinſecus aduenire. Ea autem verba, quibus ipſi innituntur, hæc ſunt. Corpus autem genituræ, in quo ſemen animarij principij contentum unà prouenit, hoc quidem ſeparabile à corpore; in quibus diuina pars com

 prehen-

prehenditur; qualis eſt quæ mens appellatur; hoc uerò inſeparabile. Hoc genituræ ſemen diſſoluitur, uerſumq; in ſpiritum euaneſcit, cum naturam humidam & aqueã habeat. Hæc ſunt verba Ariſt. quæ dupliciter exponi poſſunt. Primò dicendo, quòd mens extrinſecus adueniens cum aliquo corpore nobis inſinuatur: nam etiam intelligentiæ cœli nunquã ſine corpore ſunt ex ſententia Ariſt. in 12. Metaph. id autem corpus, cum quo mens nobis inſinuatur, abſoluta hominis formatione ſeparatur: & ſic non de eodem loquitur, dum primò inquit mentem extrinſecus aduenire, & dum mox ait id corpus ſeparari, quod corpus nuncupatur ſemen animarij principij, ut nomen ſit commune etiam ſemini aliarum animæ partium, ſed modus eſt diuerſus, hoc eſt ſemen quia in ſe mentem continet, aliud alio modo, ut iam prius ſemetipſum explicauit, per quam explicationem errare non deberemus. Secundò explicari poteſt ille locus referendo ſeparationem non ad corpus, ſed ad mentem dicendo, quòd corpus genituræ, cum quo vnà prouenit ſemẽ animarij principij, mox ſubintelligatur, cuius animæ hoc quidem ſeparabile eſt à corpore, quod conuenit illis, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt mens, & cæt. Et hæc expoſitio, ut cenſeo, rectior eſt. Subintelligitur autem id quod dixi, nempe cuiuis animæ, ueluti notum; nam animæ fecerat mentionem in proximis uerbis, cum dixit. ψυχικῆς ἀρχῆς hoc eſt principij ipſius animæ. Et expoſitio longè rectius aptatur uerbis græcis quàm latinis ipſius Theodori. Sic itaq; nil in eo capite inuenitur, quod explicatã ueritatem labefactet: immo quod rectè aſſumptum non confirmet, mentẽ eſſe diuinam & immortalem Et cum Ariſt. dicat omnes animæ partes prius eſſe poteſtate quàm actu: Reſpondeo, uerum eſt, quòd in conceptu prius ſunt poteſtate quàm actu, at uario modo: ideo

122

etiam uario modo in eo deinde ſunt actu, uel per eductionem, uel per inductionem, ut ipſemet manifeſtat.

Perpenduntur uerba xij. Metaph. *Cap.* XIIII.

DVODECIMVS liber primæ philoſophię, & cum 8.phyſ.& cum 3.de anima ſummopere eſt complicatus, ideo in eo quoque libro philoſophus ſuam de mentis immortalitate ſententiam patefecit. Nã cum in contex. 16. dixiſſet cauſas efficientes antecedere, formam verò, quæ eſt ratio & tota eſſentia rei, eſſe ſimul cum effectu ſiue cum compoſito; in contex. 17. inquit, Si autem aliquid manet poſt perſcrutandum eſt: Quaſi dicat, cum uniuerſa rei forma ſit ſimul cum compoſito & anima cum animali, adeò ut de tota nulla ſit dubitatio; de parte animę, an poſſit remanere & ſeruari poſt compoſiti diſſolutionem, conſiderandum eſt: mox afferens ſuam de re hac ſententiam inquit, in quibuſdã enim nil prohibet; & cum dicat, nil prohibet, manifeſtat eſſe neceſſarium; ſi enim nil prohibet igitur ex materia non pendet, alioquin id maxime prohiberet ſi non pendet non poteſt interire quare neceſſaria ſeruatur & remanet. De quo verò nil prohibeat, mox manifeſtat inquiẽs, vt ſi anima huiuſmodi eſt, non tota, ſed intellectus, de omni namque anima id fieri nequit, Protulit itaque philoſophus in hoc contextu ea, quæ ſunt conſentanea ſuæ ſententiæ in 3. de anima latius explicatæ. Inſuper in cont. 51. eandem veritatem confirmauit: ibi loquitur de intellectione Dei, & cum mouiſſet difficultatem, quomodo in abiunctis id quod intelligitur ſit compoſitum; ſoluens inquit, an indiuiduum eſt omne,

quod materiam non habet, quemadmodum humanus intellectus. Per hæc uerba affirmat philoſophus humanum intellectum & carere materia; & indiuiduum eſſe; nam hæc duo mutuò ſe conſequuntur, & hæc neceſſariò ſequitur eſſe æternum & immortalem. Neque poteſt quis ſubterfugere referendo hanc Ariſtotelis ſententiam ad intellectum agentem quem cenſent eſſe Deum; quoniam in eo contextu loquitur Ariſt. de intellectione Dei, & utitur exemplo noſtri intellectus: exemplum autem debet eſſe quid diſtinctum ab eo, in cuius gratiam affertur, alioquin ex eodem inferretur idem. Nam argumentatur eò loci philoſophus à minori ad maius, ab eo inquam de quo minus uidetur ad id de quo magis. Neque etiam aſſerendum eſt Ariſtotelem tunc loqui de actu ſecundo, & de copulatione noſtri intellectus cum intelligibili, quæ in indiuiduo poſita eſt, ut inquiunt nonnulli; quoniam Ariſtoteles inquit intellectum humanum carere materia: ideo ſi uel ipſe, uel eius operatio indiuidua eſt, ex eo pendent, quia caret materia: cum itaque carere materia humano intellectui tribuatur ab Ariſtotele, etiã humano intellectui conueniet, ut contrario, ac inſuper interitu careat.

Confirmatio ex libris de moribus. Cap. XV.

PHILOSOPHVS in libris de moribus intellectum eſſe diuinum & immortalem manifeſtiſſimè præſupponit: nam aſſerit homini natã eſſe conuenire fęlicitatem, quæ tamen ei minimè conueniret, niſi eſſet ęternæ portionis particeps: fælicitas enim eſt affectio rei diuinæ & immortalis, cuius cum ex mortalibus

Felicitas eſt affectis rei diuinę.

talibus

talibus ſolus homo ſit particeps, ſolus quoque homo eſt natus aſſequi fælicitatem, ſolusquę eſt natus attingere finem ultimum; & proximè necti cum eo, cum quo proximè ea ſolũ nectuntur, quę à materia & corpore ſunt ſoluta. Ideo in 12. metaph. 39. dixit eam optimam diſpoſitionem, quæ Deo ſeparatisq; mentibus ſemper conuenit, nobis per aliquod tempus conuenire. Inſuper quia humana mens eſt libera à materia, in ſuis quoque munerum functionibus libera refulget, ſuamq; libertatem patefacit: eſt enim homo liber, & dominus ſuarum actionũ, vt dicitur in 3. de moribus, præſertim cap. 5. Præterea cũ Ariſtoteles in 10. de moribus de fęlicitate in contemplatione poſita loquatur, manifeſtè noſtrum intellectum ſtatuit æternum: nam inquit in cap. 7. ac talis uita præſtantior eſt quam homini conueniat, non enim quatenus homo, ita uiuit, ſed quatenus quid diuinum in eo ineſt. Neque oportet, cum ſimus mortales, cogitare mortalia, ſed quatenus licet immortalem ſe reddere, omniaq; efficere, vt ex præſtantiſſimo, quod in nobis eſt, uitam traducamus; nam licet id mole ſit paruum, ui tamen & precio omnia longo interuallo excellit. Sed Ariſtoteles ſemper eidem ueritati conſentanea profert: & cum in omnibus, in quibus a Platone diſſentit, conſueuerit libentiſſimè eum carpere & refellere, in attinentibus ad Animæ immortalitatem nunquam id fecit, quamuis Plato animam immortalem manifeſtiſſimè ſtatuerit & comprobarit. Demùm ut referunt Themiſtius in 3. de anima, & Plutarchus in uita Dionis, & in conſolatoria ad Apollonium, Ariſtoteles conſtruxit dialogum ad Eudemum: in quo nedum aſſeruit intellectum eſſe æternum, uerùm etiam, vt ait Themiſtius, id firmioribus oſtenſionibus demonſtrauit: adeò ut nemo rectè affectus, hac de re ambigere vel ſuſpicari debeat. Et pręſertim cum conſiderauerit,

quàm obliquę ſint uiæ, quàm inanes ſint modi omnes; quibus, qui ſecus cenſent, nituntur ab enumeratis rationibus ſe explicare. Ipſi enim id faciunt quinque potiſſimum modis: uel referendo verba Ariſtotelis ad intellectum agentem, quem falsò putant eſſe Deum; vel ea referendo ad intellectionem, ſiue ad ſecundum actum noſtri intellectus; vel tertiò aſſerendo noſtrum intellectum dici diuinum & abiunctum, non abſolutè, ſed facta comparatione cum alijs animæ partibus; vel quartò, vt ait Pomponatius; aſſerendo noſtrum intellectum eſſe diuinum & immortalem, non munere ſuo, ſed ratione generis, nempe ratione æternarum mentium, cum quibus modo aliquo noſter intellectus ſimilis eſt; vel demum aſſerendo quòd multa dicit Ariſtoteles, non de eſſentia noſtri intellectus, vt forma hominis eſt, ſed de eius præparatione, & facultate ad intelligibilia. Quæ omnia tam longè à vero diſtant, vt ſuperuacaneum ſit in eorum reiectione diutius immorari. Nam ſæpe Ariſtoteles affirmat, repetit, oſtendit, intellectum hominis proprium, quo homo intelligit qui eſt particula animæ, non Deum, non actum intelligendi, non præparationem; inſuper abſolutè, & non facta comparatione eſſe antiquiſſimum, Diuinum, à materia ſolutum, non aptum diuidi, non permixtum cum corpore, extrinſecus aduenire, non reddi qualem, non interire, non lædi, nec pati vt ſenſus, non eſſe naturam, non attinere ad phyſicum, verè eſſe intelligibilem, nil habere cōmune cum alijs, eſſe ſimilem menti poſitę ab Anaxagora, ſeparari ut æternum à mortali, non comprehendi ab vlla corporis parte, eſſe liberum, & demum fœlicitate frui, ac participem eſſe conditionis Dei; per quæ ſi eſt ſimilis generi diuinarum mentium, iurè inſolubiliter colligere valemus, ex ſententia Ariſtotelis, eum eſſe æternum, & immortalem.

An Intellectus Agens ſit Deus opinio Alexandri. Cap. XVI.

CVM conſideratione ęternitatis humanæ mentis, ſummopere iuncta eſt conſideratio naturæ, & conditionis intellectus agentis, plurimi enim eorum, qui ex ſententia Ariſtotelis, mẽtem non cenſent æternam, vt uitent quaſi aduerſos ſcopulos, varia conſpicua verba Ariſtotelis, ad intellectum agentem, tanquam ad ſacram ancoram confugiunt, aſſerendo ea fuiſſe prolata de intellectu agente, quem inficiantur eſſe partẽ animæ hominis, propterea an ea ſententia ſit vera conſiderare conemur. Sententia eſt Ariſtotelis in tertio de Anima, in hominis Anima, duas illas differentias reperiri, quæ in vniuerſa natura conſpicuæ inſpiciuntur agentis ſcilicet, & patientis, ſiue producentis, & recipientis, quæ duæ differentiæ intellectus agens, & intellectus poteſtate nuncupantur. Quod intellectus qui poteſtate eſt ſit particula humanæ animæ, conſentiunt omnes, apertè enim id protulit Ariſtoteles in principio tertij de anima, dubitatio eſt de ſolo agente, ideo de hoc uerba faciam, & à diuiſione incipiens dico. Intellectus agẽs, vel eſt pars animæ noſtræ vel non, ſi non eſt pars, vel eſt ſuprema intelligentia, ut aiunt nonnulli, vel infima ut alij. Si eſt pars, vel eſt natura, & eſſentia diſtincta à poſſibili tãquam à forma, & perfectio poſſibilis, vt Auerroes, & multi cum eo niſi ſunt exiſtimaſſe, vel eſt vna, & eadem eſſentia, vario modo ſe habens. Si eſſentia eſt vna, id pręſertim contingere poteſt, tribus modis, vel enim eſt ipſamet rationalis Anima, quæ ut in ſe manens dicatur agens, ut progreſſa dicatur intellectus poteſtate, quem-

Conſideratio intellectus Agentis iũcta eſt cum conſideratione ęternitatis Animæ.

Capita variarum opinionum.

admodum exiſtimat ſimplicius, vel vt prædita dignitatibus & formata habitibus eſt agens, ex ſe autem poteſtate eſt, vel tertio eſt eſſentia una duabus facultatibus prædita, duplicique munere fungens, ac ita duobus nominibus

Ratio prima. deſignata. Quod intellectus agens natura, & eſſentia, ab eo qui poteſtate eſt diſtinguatur, ex eo maxime colligi poſſe uidetur, quia cuncta ita ſe habentia ut unum ex ſe agat, alterum ex ſe patiatur, neceſſario inter ſe eſſentia diſtinguntur, nil enim in ſe agit, niſi ex euentu, at intellectus agens ex ſe agit, alter ex ſe, & ſui conditione patitur, quia

Ratio ſecũda. neceſſario inter ſe eſſentia diſtinguntur. Præterea hoc, ſua oſtẽſione uiſus eſt patifeciſſe, Ariſtoteles dixit enim, vt in omni natura reperitur aliquid aptum omnia fieri, & aliud aptum omnia facere, ita in anima noſtra hæ duæ differentiæ inueniuntur, at in natura rerum, agens, & patiẽs materia, & eam formans eſſentia, & conditione diſtingũtur, quia ſimiliter intellectus agens ab eo qui poteſtate

Ratio tertia. eſt. Id ipſum Philoſophus confirmauit exemplis, dixit enim intellectum agentem ſimilem eſſe lumini, & Artifici, lumen autem & Artifex ſunt principia quędam operis externa, non interna; dicit quod unum eſt agens, alterum materia, agens, & materia non valent, eſſentia, & fundamento idem eſſe; cum autem Intellectus agens ſit aliquid externum, quod nil aliud pręter Deum eſſe poſſit, oſtenditur ab Alexandro primo de Anima cap. de intellectu agẽ

Ratio quarta. te. Primo quia in omni genere ad unum primum deuenire neceſſe eſt, quòd eſt ex ſe tale, & eſt cauſa ut cętera eius generis talia ſint, veluti primo & maxime viſile, eſt cauſa, ut cętera videantur, & primum ac ex ſe bonum eſt cauſa, vt cętera bona ſint, at Deus ex ſe, & primo eſt intelligibilis, quia cętera omnia ab eo habent, vt intelligibilia ſint, id autem quod eſt tale, eſt intellectus agens confirmatur id ipſum, nam quod eſt cauſa, vt intelligibilia ſint eſt

cauſa

cauſa vt intelligantur, cauſa autem, vt intelligibilia intel ligantur dicitur intellectus agens. Præterea uis cognoſcens quo eſt præſtantior, eo eget externo aliquo præſtātiore, tactus infimus nullo eget, oculus ſenſuum eminētiſſimus eget ſole viſili eminentiſſimo, quia mens humana cęterarum facultatum eminentiſſima, eget eminentiſſimo mentis ſole, qui Deus eſt. Quod demum confirmatur, quia conditiones ab Ariſtotile agenti intellectui tributę ſoli Deo competunt; dicitur enim de intellectu agente quod ſit ſui eſſentia actio, & quod eius munus eſt omnia facere, hę autem ſunt conditiones Dei. Iure itaq; Alexander, & qui eum ſequuntur, officium intellectus agentis Deo tribuunt. Inquiunt enim. Deum dupliciter poſſe conſiderari; vel vt eſt motor ſui orbis, & auctor generationis, vel vt eſt vis effuſa per omnia iuncta omnibus, iuncta proficiens ſecundum propriam eorum conditionem; hac ſecunda conſideratione Deus vt iunctus intelligibili exiſtenti in intellectu poſſibili, dicitur intellectus agens, & quia Ariſtotelis inquit differentias agentis & poſſibilis in anima reperiri, & agentem nuncupat, non Deum, ſed intellectum; inde aſſedæ Alexandri, vt hęc ſeruent varia dicunt, inquũt enim, has differentias eſſe in anima hoc eſt conſpirare ad actiones animæ, vel eſſe in anima late ſumpta, extenſa etiam ad Deum, qui anima mundi ex ſẽtentia Ariſtotelis dici poteſt, vel demum eſſe in anima, quia actio agentis non terminatur ad obiectum intelligibile, ſed ad ſubiectum intelligens, nam Dei uirtus effuſa per intelligibilia cui munere intelligibilia ſunt abiuncta, & recepta in intellectu poſſibili, eſt & agens, & intellectus, nam obiecta dum ſunt abiuncta nuncupantur, Intellectus, quia ſcientia, & ſcibile, vt ait Ariſtotelis, idem eſt.

Ratio quinta.

Ratio ſexta.

Quomodo Deus fit intellectus agens.

Euerſio ſententiæ Alexandri.
Cap. XVII.

OPINIO Alexandri quod intellectus agens ſit Deus, & cum vero,& rationibus,& verbis Ariſtotelis apertiſſime pugnat, quod oſtendo, primo perpendendo verba Ariſtotelis, propoſuit Philoſophus in primo contextu tertij libri de anima, conſiderandum de particula animæ, quæ anima intelligit, quam habeat differentiam, mox in contextu 17. colligit in anima reperiri differentias agentis, & poſſibilis; ex his colligo hanc rationem. Id quod eſt differentia animæ, qua anima intelligit non eſt aliquid diſtinctum ab eius eſſentia, non enim differentia rem conſtituens, & principiū operis eius ſecernitur ab eſſentia illius, intellectus agens per conſpicua verba Ariſtotelis eſt huiuſmodi, non itaque eſt aliquid ab eius eſſentia ſeiunctum. Prçterea conſidero rationem, qua vtitur Ariſtoteles, inquit enim vt in omni natura reperitur aliquid, quod eſt omnia fieri, & aliud quod eſt omnia facere &c. proculdubio in operibus naturæ id cuius virtute aguntur omnia, Deus eſt effectus per omnia, & opus naturæ, præſertim dicitur eſſe opus Dei, & tamen Ariſtoteles per id, quod omnia facit non Deum ſignificauit; ut conſentiunt omnes, nec Dei virtutem per uniuerſam naturam effuſam, ſed formam, & principium efficiens proximum, & proprium; quare longe minus per id, quod in nobis proportione reſpondet, efficienti proximo, & proprio Deum denotare uoluit, ſed aliquid aliud nobis proximius, & magis proprium. Præterea Deus ex ſententia Ariſtotelis ſolum eſt cauſſa communis, & ſolum uniuerſe concurrit ad cunctorum

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Ratio tertia.

pro-

productionem ſingula effecta, & opera propria habent cauſſam propriam, & dum cauſſa rerum diſtinctarum quæritur, ea quæritur, quæ propria eſt. Cum itaque munus intelligendi ſit opus quoddam nobis proprium, cauſſa illa efficiens eſt aſſignanda, quæ proxima, & propria eſt; huiuſmodi autem nō eſt Deus, non enim Deus concurrit ex ſententia Ariſtotelis ad opera ſecundarum cauſarum ſine ſecundis cauſis. Et confirmatur, quia actus, & potentia ſunt duæ differentiæ, quæ ſibi mutuo reſpondent, quarum vna ſi propria, & proxima eſt, altera debet eſſe talis, intellectus poteſtate eſt differentia proxima, & propria hominis, quia intellectus agens, ei proportione reſpondens conſimilis eſſe debet. Inſuper maximi faciendam cenſeo rationem Auerrois tertio de Anima com. 18. quæ huiuſmodi eſt. Id opus, quod in noſtra facultate eſt poſitum, debet ex facultate animæ noſtræ prodire, at opus intellectus agentis eſt huiuſmodi, ad libitum enim eo utimur, & per illum operamur, quia cenſeri debet facultas animæ noſtræ: & id patet exemplo, cum enim ſol non ſit pars animæ noſtræ non eſt in noſtra facultate poſitum eo uti, nec ſemper dum optamus nobis inſeruit pro obeundo munere oculorum. Præterea opus, & principium operis eiuſdem eſſe dicuntur, intelligere eſt opus humanum, & opus noſtrum, quia intellectus agens, qui principium eſt cuius operis, aliquid noſtrum, hominiſque proprium, cenſeri debet, huiuſmodi autem non eſt Deus, uel Dei uirtus. At ad hęc reſpondere videtur Alexander in ſecundo de Anima cap. 19. inquiens intellectum agentem eſſe nobis adiutorem, eorum quæ in noſtra ſunt poteſtate, adeo ut opus ſit nobis proprium in noſtra facultate collocatum, munere intellectus, qui poteſtate eſt, cuius intellectus agens ſit adiutor. At contra dum Ariſtotelis in tertio de Anima

Ratio quarta.

Ratio quinta.

Ratio ſexta.

Solutio Alexandri.

Euerſio ſolutionis Alexandri.

ma colligit in anima duas illas agentis, & recipientis, differentias reperiri, non de auxiliario, ſed de principali efficiente loquebatur, & de illo formauit oſtenſionem ſuam, quod conſtat ab exemplo naturæ, & artis. Præterea eſto quod ſit auxiliator tantum proculdubio eſt talis vt neceſſario cōcurrat, dum autem adiutor neceſſario ad opus concurrit, opus non eſt in noſtra poteſtate, niſi etiam adiutor in noſtra poteſtate fuerit. Demum ſi intellectus agens eſt Diuina virtus, effuſa per intelligibilia, quæ in intellectu recipiuntur; Quæro uel ea uirtus Diuina eſt eadem cum forma intelligibili, uel eſt aliquid diſtinctum ab ea, ſi eſt eadem, tunc idem eſſet faciens, & factum, Intellectus agens abſtrahens, & id quod abſtrahitur, at nil facit ſe, ſi eſt ab ea diſtincta, uel eſt ſubſtantia, vel accidens, non accidens, nam intellectus, qui ſui ſubſtantia eſt actio & eſt æternus; accidens dici non poteſt, præſertim cum præſtet intellectui poſſibili: ſi eſt ſubſtantia, uel eſt forma, vel materia, uel compoſitum, non materia, & compoſitum, non enim Deus huiuſmodi eſt, ſi eſt forma, quæro quæ ſit huiuſmodi forma, uel eſt eſſentia Dei, uel aliquid diſtinctum ab ea, ſi aliquid diſtinctum, malè aſſererent intellectum agentem eſſe Deum, dicere quod ſit eſſentia Dei, cum vero maximè pugnat, ex ſententia enim Ariſtotelis Deus, & per eſſentiam, & proximè per opinionem ſolum eſt in cœlo, ideo Homeri ſententia commendauit ita canentis.

Eſſe ſolum Diuis ſubnoxium ſemper olympum
Fama eſt haud uentis tremefactum, aut imbribus udum.

Di-

Diluuntur aduerſæ rationes.
Cap. XVIII.

CVM apparauerit intellectum agentem, quem Ariſtotelis animæ noſtræ differentiam appellat, minime eſſe Deum, difficile non eſt aduerſis rationibus ſatisfacere. Prima dubitatio in hoc erat poſita, quomodo in una ſimplici eſſentia humanæ mentis ſeruari poſſit ratio agentis, & patientis nam agens; & patiens, actus, & potentia oppoſita ſunt, & de eodẽ, relato ad idem, uera eſſe non poſſunt; Reſpondeo differentiæ agentis, & poſſibilis, intellectus non ſunt differentiæ, conſtituentes eſſe, ſed actionem, quæ actio ſpiritualis, in corporea, & immanens eſt, nam eſt iudiciũ obiecti, & receptio in intellectu poſſibili, receptio inquam in eſſe cognito, in qua receptione, id quod recipitur, non eſt in alio, ut in ſubiecto, ſed ut in iudicante, iudicium enim eſt actio & perfectio Iudicis, de his non eſt abſurdum, ut idem ſit producens, & recipiens. Ideo Auerroes in octauo Phy. 40. dixit, quod aliquid ſe moueat, & in ſe agat, non eſſe impoſſibile, niſi in mouentibus, quæ ſunt corpora, uel uirtutes in corpore, non aut in ſe iunctis à materia, ſat enim eſt, quod diſtincta ratione dicantur agere, & pati Dicebatur ſecundo ex ratione Ariſtotelis colligi, quod eſſentia diſtinguatur, quia in rerum natura agendi principum ab eo patiendi, eſſentia diſtinguitur. Reſpondeo Ariſtotelem ſua ratione oſtendere duas illas differentias in anima reperiri, & utriuſque oppoſitam eſſe rationem, & in hoc aſſero ueram eſſe ſimilitudinem, non autem ſimilitudinem eſſe ueram de omnibus; Quæcunq; enim de corporibus, & de in-

Solutio primæ rationis.

Solutio tertiæ dubitationis. incorporeis dicuntur, non eodem modo eis competunt ex hoc ſimiliter elicitur ſolutio confirmationis ſumptę ab exemplo Artificis,& luminis, exempla enim ſunt uera in parte, & in attinentibus ad id de quo eſt ſermo, non autẽ abſolutè,& penitus, ideo Ariſtoteles addebat eſſe ſimilia quodam modo,ſat eſt ut appareat,& ſeruetur ratio differentiarum diſtincta,ueluti etiam ſenſus interni,mutuo ſe mouere dicuntur, quamuis eorum eſſentia una ſit. Ratio

Solutio quartę dubitationis. quarta ex Alexandro ſumpta erat, quia in omni genere ad unum primum eſt deuenire & cęterum. Reſpondeo de ueniendum quidem eſſe ad unum primum, id tamen non ſemper eſſe uniuocum, ſed frequenter ab uno, & ad unũ, nec ſemper id primum eſt cauſa cęterorum, ut in perſpicuorum genere ducimur ad unum primum,nempe ad cœlum, id tamen primum non eſt cauſa, ut cętera perſpicua ſint,non enim quia cœlum eſt perſpicuum, ideo ſuperiora elementa perſpicua ſunt. Prœterea ſi ea ratio eſſet alicuius roboris ſolum oſtenderet ex Deo cuncta intelligibilia pendere & Deum eſſe cauſam eorum,at non ob id eſſe intellectum agentem proxime reddentem intelligibilia poteſtate,actu intelligibilia. Addebatur, quod cum Deus ſit cauſa, ut intelligibilia ſint, etiam eſt cauſa, ut intelligantur, reſpondeo quicquid eſt cauſa cauſæ, etiam eſt cauſa pendentium ab eo, & non proxima, ſed remota,

Solutio quintæ difficultatis. nos autem proximam quęrimus. Addebatur id quod eſt pręſtantius regere aliquo pręſtantiore, pro reſponſionę dico non ſemper pro obiecto cognoſcendo eſſe neceſſarium aliquod externum, hoc ſolum uniuersè uerum eſt, quod quo eminentior eſt actio, eo reget principijs eminẽtioribus, & hoc de opere intelligendi cumulate ſeruatur, nec principium proximum productionis eius,pręſtantiſſimum penitus eſſe debet,quia nec tale opus abſolute eminẽtiſſimum eſt,ac ita ratio reflectitur,cum opus, & principium

cipium proximum ſibi mutuè reſpondeant. Dicebatur poſtremo loco conditiones ab Ariſtotele tributas intellecti agenti, ſoli Deo conuenire, vt quod faciat omnia, & ſit ſui ſubſtantia actio. Reſpondeo negando aſſumptum nam ea de Deo abſolute vera ſunt, de intellectu agente non abſolute, ſed tantum cum relatione ad intelligibilia, & actum intelligendi; intellectus enim agens facit omnia apta intelligi eſſe intelligibilia actu, ut conſtat de lumine erga colores. Inſuper eſt eius ſubſtantia actio per comparationem, & relationem ad intellectum poſſibilem, ut enim natura, & cōditio huius eſt, vt ſit aptus fieri omnia, ita natura, & conditio agentis eſt facere ea omnia intelligibilia actu. Non itaque intellectus agens eſt Deus, vt cēſent, qui Alexandro ſunt addicti, nec eſt vltima quędam intelligentia, vel Angelus, vel Demon, vt Marianum Philoſophum putaſſe aiunt Philoponus, & alij, ſed eſt pars animę noſtræ, vel facultas cum Ariſtoteles hanc differentiam in anima noſtra conſiderauerit. — Solutio ſextæ rationis. — Epilogus.

Opiniones nonnullæ, aliæ de intellectu agente reijciuntur. Cap. XVIIII.

EXISTIMARVNT non nulli viri Pręclari, intellectum agentem nil aliud eſſe, niſi enūtiationes primas, quæ dignitates dicuntur nobis natura inſertas, vel ſaltem intellectum, poteſtate huiuſmodi enunciatis inſignitum, per eas enim, tanquam per lumen, cętera illuſtrantur, quam opinionē à vero longe remotam cenſeo, Nam intellectus agens dicitur ſeparabilis, dignitates ab eo cui inſunt, ſe iungi nequeunt. Intellectus agens etiam pro formandis communibus enunciatis eſt neceſſarius, Nil autem eſt neceſſariū — Opinio alia. — Opinionis euerſio.

pro ſui met productione, nil enim efficit ſe ipſum intellectus agens eſt ſubſtantia, & eſt præſtantior intellectu poſſibili communia enunciata, nec ſubſtantiæ ſunt nec iudicandæ ſunt eminentiores intellectu, qui particula eſt animę. Similiter veram non cenſeo opinionem quorundam, qui ex ſententia Auerrois aſſerunt intellectum agentem eſſe quidem partem, & differentiam animæ noſtræ, ita tamen, ut ſint duæ diſtinctæ eſſentiæ, quarum una ſe habeat ad alteram, tanquam forma, & perfectio, ad id, quod perficitur, ideo in connexione utriuſque per quam intellectus poteſtate dicitur adipiſci intellectum agentem, & cóſtiruitur intellectus adeptus, dicunt collocatum eſſe ſummum bonum hominis. Hanc opinionem ſatis ſimilem puto opinioni quorundam Academicorum, qui aiunt intellectum agentem eſſe mentem participatam, intellectum uero poteſtate eſſe animam rationis compotem, vel intellectum agentem eſſe animam rationis compotem manétem, intellectum uero poteſtate eſſe progreſſi enı meius quam non nulli eſſentia diſtinctam affirmant, quamſententiam non iudico approbandam, primo quia Ariſtoteles in tertio de Anima com. 20. cum primo oſtendiſſet intellectum poteſtate, & agentem eſſe ęternos colligit, ſeparatus eſt id quod eſt, & hoc ſolum eſt ęternum, & immortale, indicans eſſentiam utriuſq; eſſe unam, eamque eſſe ęternam, relationes autem, & cętera ei competentia per connexionem nobiſcum variari, mutari, & interire. Præterea vbique Ariſtoteles intellectum, & contemplandi potentiam, quam ſtatuit ęternam, indicat eſſe eſſentiam unã quam ait in primo de partibus non eſſe naturam in ſecundo de generatione animalinm cap. 3. extrinſecus accedere, cum itaque vterque intellectus ſtatuatur æternus, vt patuit, & eſſentiam æternæ mentis Ariſtoteles, ſemper indicet eſſe unum, conſpicuum redditur ex opinione eius, eſſen-

Alia opinio.

Opinionis eucıſio.

eſſentiam vnius non diſtingui ab eſſentia alterius; Præterea quod nec de ſuperiore, nec de inferiore gradu formæ verum eſt, neque etiam de media cenſendum eſt eſſe verum, at ſi ſuperiores intelligentias conſideramus, illæ ut intelligant non egent conſpiratione duarum formarum, ſi ad ſenſus, & inferiores formas deſcendimus, ſimiliter vt iudicent obiectum ſuum, ea duarum eſſentiarum conſpiratione non egent, quia neque etiam humana mens, pro ſuo fungendo munere ex duplici forma conſtare debet. Demum duæ ſubſtantiæ ęternæ non poſſunt ſimul necti per noua, & mortalia accidentia, nectens enim eiuſdem generis,& ordinis eſſe debet cum his, quæ nectũtur, quare non eſt putandum intellectum poſſibilem, & agentem, quæ ſunt duæ ſubſtantiæ eternæ, necti per phantaſmata varietati & interitui obnoxia.

Opinio propria. Cap. XX.

QVONIAM intellectus agens, nec Deus eſt, nec Demon, nec forma diſtincta à poſſibili, colligendum eſt humanam mentem eſſe formam,& eſſentiam vnam,pręditam duplici differentia, tanquam duplici facultate, at quomodo id contingat adhuc non conſtat. Inquit Philoponus intellectus agentis, & poſſibilis unam eſſe eſſentiam, differre verò quia vt eſt prædita habitu,& per habitum operatur, dicitur intellectus agens, vt vere caret habitu, & illum nata eſt aſſequi,dicitur intellectus poteſtate, quæ ſententia vera non eſt,quia humana mens dicitur fieri omnia,dum recipit habitus, pro quibus recipiendis neceſſaria eſt actio agentis,cuius officium eſt omnia facere,quare intellectus agens antecedit habitui,& non poteſt cenſeri habitus,inſuper intellectus habitu pręditus vt talis,nec æternus,nec ſepa-

Vna eſt eſſentia agẽtis intellectus, & poſſibilis.

Opinio Philoponi.

Opinionis euerſio.

ſeparabilis eſt, intellectus autem agens omnium conſenſione ęternus, & ſeparabilis eſt. Quare dicamus vtriuſq; differentiæ vnam eſſe abſolutam eſſentiam, eamq; eſſe æternam & immortalem, quæ forma, & eſſentia, ut eſt æque apta fieri cūcta intelligibilia, & ex eo quod nil actu eſt, trāſit ad id, vt ſit omnia, dicitur intellectus poteſtate, vt vero ſua actio facit omnia, apprehēdēdo eſſentias rerū, derelictis alijs, ſic dicitur abſtrahens; & agēs, ideo Ariſtoteles dixit has differentias, hoc eſt modo ſe habendi, & conſpirandi ad actum intelligendi, in anima, hoc eſt in vna, & eadem animæ eſſentia reperiri nam ea, quæ competunt corporibus & rebus corporeæ moles expertibus, longe minus in his, quam in illis inueniuntur diſtincta. Et ſi quis quærat quo pacto hæ duę differentiæ humanæ animæ competant, num pro ſe, uel ex conuentu, dicendum eſt, eas non competere ei per ſe abſolutè, ratione generis, ut mens eſt, ita enim ſingulis mentibus competerè deberent, nec per ſe, ut humana mens ſoluta à corpore conſiderata per prædicta abſoluta; & ideo dicebat Ariſtoteles in contex. 20. tertij de anima, ſeparatus eſt id, quod eſt, & hoc ſolum æternum, & immortale, indicans cæteras relationes incipere in ea ac deſinere, ſed cenſendum eſt ei per ſe competere, ut mens humana, & particula animæ apta in nobis eſſe principium intelligendi per phantaſmata, & hoc explicatur exemplo materiæ, cui in prima notione non competit poteſtas pro externa ratione ſumpta, ſed ei competit per ſe in ſecunda notione; ſimiliter humanæ menti in prima notione dum conſideratur per ea, quæ illi abſolutè competunt, illę differentiæ non competunt ſed competunt in ſecunda notione, dum conſideratur, ut particula animæ, & principium intelligendi in homine, hinc Ariſtoteles in 12. metaphiſicę, cōſiderans genus intelli-

Opinio uerior.

Quomodo humanæ menti duæ differentię competāt.

13

telligentiarum, in quo etiam eſt humana mens, non aſſignauit differentias agentis,& recipientis,ſed eas retulit in tertio de anima, ubi mentem conſiderauit tanquam particulam animæ,& principium intelligendi in homine. Et ſi quis quærat an intelligentijs cœli aliqua conſideratione competant hæ duæ differentiæ, profecto aſſerendum eſt propriè illis non competere, ſed tantum per metaphoram, & ſimilitudinem, nam quia omnes cœli intelligentiæ ſub Deo poſitæ modo aliquo ſunt participes potentiæ, & compoſitę, nec omni ex parte ſimplices, ut Deus, ideo actus, & potentia conſideratæ in eis, ſimiles modo aliquo ſunt duabus differentijs agẽtis, & poſſibilis; ea tamen ſimilitudo eſt ualde tenuis,& exigua, quia etiam humana mens præter duas illas differentias includit actum, & potentiam nec ille actus,& potentia in ea dicuntur intellectus agens & poſſibilis, ideo rectius loquuntur, & ſentiunt, qui abſolute inficiantur intelligentiarum generi competere differentias agentis, & poſſibilis, & quamuis intelligentiæ ſub Deo poſitę intelligant aliud à ſe modus tamen intelligendi eſt apprime diſtinctus ab eo, quo per agentem, & poſſibilem humana mens eſt principium intelligendi in homine. Et breuibus multa colligens dico, offertur primo phantaſma humanę menti, quę oblatio non ita fit ut phantaſmata ſint in memoria tanquam in libro depicta, ac ita offeruntur menti:ſed offerri dicuntur quatenus primo uis imaginandi in eis uerſatur, eaque concipit, ideo nunquam intelligimus, niſi una etiam phantaſia operetur, phantaſmataque iudicet, quod cum phantaſia faciat,dicitur mentem ad eorum phantaſmatum cõſiderationem excitare, quę mens in phantaſiam conuerſa primo directe in eam inſpiciens,ſingularia phantaſmata apprehendit, mox conſiderando eſſentiam, non conſideratis adnexis,

Intelligentijs nõ proprie competere differentias agentis, & poſſibilis.

Compendium.

nexis, & non inſpiciens in aliud, ſed quaſi in ſe rediens, & ſimplices eſſentias conſiderans, dicitur non directe inſpicere in aliud, ſed reflecti, & eſſentias rerum abſtrahere, ut lucidè elicitur ex uerbis Ariſtotelis tertij de anima; ſic itaque per lineam rectam inſpiciendo in aliud,& recipiendo ab alio dicitur cognoſcere ſingularia, reflectendo autem ab alio dicitur reflexa ſpecies, & genera cognoſcere, quę cognitio eſt ipſamet abſtractio. In hac muneris functione duplex ſeruatur imago perpeſſonis una, quia ei offertur obiectum, per quam oblationē tranſmutatur ex non intelligere ad intelligere: altera quia, vt inquit Ariſtoteles in 9. metaphiſicæ 17. Intelligere eſt opinio immanens, prima antecedit actioni, altera eam ſequitur; eſſentia mentis eſt vna ſola ratione diſtincta, ea differentia, quæ dicitur agens eſt tanquam acies eius, ſic reijcienda eſt abſtractio facta à mente ſine cognitione, abſtractio enim ab ea facta eſt apprehenſio vnius, non apprehenſo alio connexo cum eo; ſimiliter reijcienda eſt receptio, ut in ſubiecto, & ſpecies intelligibilis diſtincta ab actu intelligendi. Philoſophus enim tenetur emulari naturam, quæ nil facit per plura, quod valeat efficere per pauciora.

De facultate Animalium motrice. Cap. XXI.

QVATVOR numerantur principales animæ facultates, & partes, quibus quatuor mortalium uiuentium gradus formantur, ac perficiuntur, Prima eſt vis nutriendi conſtituens plantas Altera vis ſentiēdi ſine motu formans ſtirpanimalia. Tertia vis ſentiendi cū motu animalia abſo-

ſolutiora perficiens. Poſtrema vis rationis compos, quæ propria eſt hominis. Decurſis tribus gradibus, ſupereſt, ut de facultate motrice uerba faciamus; de qua hoc primo conſiderandum occurrit. Cur Ariſtoteles qui in ordine ſeruando fuit accuratiſſimus, poſtremo loco de ea diſſeruerit: cum enim in ordine teneamnr æmulari naturam, eamque ſequi, ut frequenter Philoſophus nos monuit, apparet quod prius de facultate mouente, quã de intellectu debuerit verba facere; vis enim mouens eſt communior intellectu, cum longe pluribus competat, & eſt prior origine, ſequitur enim proximè ſenſum; vis autem ratiocinandi in ſecundo de anima poſtrema, & minima nuncupatur ideo iure poſtremo loco explicanda videtur. Non me latent virorum ſapientum hac de re ſententiæ variæ, eis tamen ſilentio inuolutis, aſſero ordinem ab Ariſtotile ſeruatum fuiſſe optimum. Primo quia principia primo ſunt declaranda, ut aſſeritur in prohemio Phy. at non uis mouens eſt principium ratiocinandi, ſed uis rationis particeps, eſt in parte principium motus, ideo primo de intellectu, & ratiocinandi facultate fuit agendum. Præterea id fieri debuit, quoniam intellectus eſt conſimilior ſenſui, quam potentia mouendi, ambæ enim ſunt facultates iudicantes, & multi veterum Philoſophorum, ſenſum ab intellectu non ſecreuere, ideo diuiſerunt animam in cognoſcentem, & mouentem, ut dicitur in primo de Anima. 19. in 2. 159. in 3. 40. ac ob id primo abſoluenda fuit explicatio partis iudicantis mox ea mouentis. Huc accedit, quod intellectus per analogiam ſumptam à ſenſu, & comparationẽ cum eo factam explicatur. Demum intellectus, & ratiocinandi principium vere eſt pars animæ noſtræ diſtincta à cęteris, at uis mouendi, non uere eſt diſtincta pars, ſed potius diſtincta operandi facultas, ſequens cognitionem,

Cur uis motrix ultimo loco declarẽ.

Ratio prima.

Ratio ſecunda.

Ratio tercia.

Ratio quarta.

tionem, & appetitum; ideo poſtremò loco poſt facultatum cognoſcentium explicationem debuit declarari, ex quo conſtat Ariſtotelem in his facultatibus explicandis verè fuiſſe æmulatum naturam, cum primo declarauerit principia, mox pendentia ex eis; rationes aduerſæ facile diluuntur. Dicebatur primo facultatem mouendi eſſe communiorem intellectum; Reſpondeo facultatem mouendi dupliciter conſiderari poſſe; primo pro uniuerſa ſui latitudine, ac pro toto quodam ex ſingulis ſuis partibus conſtituto, ac ita non eſt communior ratione, ſed eam ſequitur, cum etiam ex ratione prodire poſſit motus. Secundo pro ſola aliqua eius parte, nempe pro facultate mouendi, ſequente ſolum ſenſum; qua ſecunda conſideratione uis mouens eſt communior, at dum res in ordinem redigimus, totum tenemur conſiderare, non partes: Addebatur facultatem mouendi origine eſſe priorem; uim autem ratiocinandi poſtremam eſſe, & minimam, quæ ratio ſoluitur per nuper dictà; nam uis mouendi pro uniuerſa ſua latitudine ſumpta, eſt origine poſtrema, cum ne dum ex ſenſu, ſed etiam ex intellectu prodeat; Recta itaque ratione Ariſtoteles de uirtute mouendi, poſtremo loco diſſeruit, ſed maior emergit dubitatio. Nam Ariſtoteles de motu animalium loquens, apprime redundans, & ſuperuacenus fuiſſe uidetur, ſæpe enim de eadem re uerba facit; loquitur de facultate mouendi, tum in libro de partibus motui animalium inſeruientibus, tum in libro de motu animalium, tum demum in tertio de Anima. At difficultatem diluens dico Ariſtotelem minime fuiſſe redundantem, quoniam diſtincta conſideratione de motu animalium uarijs in locis uerba fecit, nam pro exacta notitia motus animalium, tria erant explicanda; primò partes, & inſtrumenta motui inſeruientia. Secundo uis, & facultas, quæ dicitur

Diluuntur rationes aduerſæ.

Dubitatio

Solutio, cur tribus in locis cōſideretur motus animalium.

citur

citur pincipium motus; Tertio ipſe met motus tanquam functio muneris animalium, de primo Ariſtoteles verba fecit in libro de partibus motui animalium inſeruientibus, de ſecundo in libris de anima; de tertio in libro de animalium motu, qui liber inter nuncupat a parua natu ralia numeratur. ac ita Philoſophus ordinem congruentem ſeruauit non fuit redundans, nec ulla ex parte diminutus.

De Principio motus Animalium.
Cap. XXII.

PRINCIPIVM internum motus, adeo cum anima eſt complicatum vt aſſeruerint Academici, animam eſſe numerum ſe mouentem, & dixerit Ariſtoteles mouere ſe animantium eſſe proprium: ideo ſi gradus animantium accurate conſideremus, inueniemus quot animantium, tot variorum motuum eſſe gradus. In primo animantium gradu inueniuntur plantæ, quæ cum creſcant etiam per partes locum mutant. In ſecundo collocata ſunt ſtirpanimalia, quæ ſaltem per contractionem, & extenſionem mouentur; In tertio reperiuntur abſolutioria animalia, quæ ſponte ex vno in aliũ locum transferuntur; Homo demum cęteris præſtans, ne dum enumeratis tribus modis mouetur, verum inſuper prædictus eſt eo motu, qui à ratione formam, & regulas ſuſcipit. Dum ſermo eſt de animalium motu non de primo, & ſecundo, ſed de tertio, & quarto eſt dubitatio. Quæritur itaque, quod nam huius motus, ſtatui debeat internum, & proprium principium, Animam nutrientem non eſſe eius principium, ſatis eſt conſpicuum: cum Plantæ ea ſint præditæ, nec propterea

Singulis uiuentium gradibus cõpetere motum.

Quod ſit principiũ motus animalium.

ex loco, in locum transferantur, ſimili ratione putandum non eſt ſenſum abſolutè, & vniuerſè ſumptum, infra exactionem Phantaſiam collocatum eius eſſe principium, quia conchilia, & oſtreacea ſenſu ſunt prædita, nec propterea hoc genere motus, de quo eſt ſermo, mouentur; remanet itaque cæteros animæ gradus; vel omnes, uel quoſdam eſſe huius motus principia, quòd ut reddatur conſpicuum; conſiderandum eſt motum animalium quattuor egere, excitante, dirigente, exequente, & famulante, excitans eſt obiectum quod appetibile: & ſcopus dicitur; dirigens, ne temere dirigat, tenetur diſtinctè ea cognoſcere, ad quæ mobilia dirigit, huiuſmodi non eſt confuſus ſenſus ſtirpanimalibus compe tens ſed phantaſia exactior perfectiorum anima lium, & mens hominis; hæc ſunt principia illa, quę apta ſunt rectè ducere, & dirigere. Hinc phantaſia brutorum ab Ariſtotele nomine mentis denotatur, tùm quia valet diſtinctè ducere, & dirigere, tum inſuper quia in eis ueluti etiam in pueris & amentibus fungitur munere eo, quo in virò prudente fungitur mens, adeo ut opera frequenter efficiant, quæ arte, & conſilio facta videantur. De mente quod apta ſit recte iudicare, dirigere, ducere, præeſſe, & imperare nemini dubium eſt, cum hæc ſint officia eius. Ex his eligere ualemus quod nam ſit principium motus, quod eſt ducens, & dirigens; hoc enim eſt phantaſia, & mens & quia duo hæc principia in parte ſimilia ſunt (ut dixit) ideo ambo communi mentis nomine ab Ariſtotele denotantur: ut conſtat ex tertio de anima. 48. & ex libro de communi animalium motu; ex quo eliſio non ſolam hominis ſolam phantaſiam ab Ariſtotele deſignari nomine mentis, (ut nonnulli dicunt) ſed etiam phantaſiam brutorum: alioquin falſa eſſet ſententia Ariſtotelis, quod mens eſſet commune principiũ motus.

Phantaſia cur dicitur mens.

Principiũ motus ducens.

Primum quod elicitur.

motus. Elicio ſecundo etiam Iumenta, & feras poſſe dici mente præditas, ut cenſuit Anagoras, ea tamen, eſt mens quædam amens, & mens per metaphoram, non abſolutè, & uerè mens. Conſtituto principio motus excitante, ducente, & dirigente, Principium tertium inueniri debet, quod exequatur, & mandata dirigentis impleat, hoc principium aliud ſtatui non debet præter appetitum, ratio eſt, quia appetitus ille eſt qui perinde cognitionem ſequitur, ac umbra corpus, & quoniam iudicamus aliquid eſſe bonum, ideo appetimus illud. Et confirmatur, quia appetitio, quæ eſt actus ſecundus facultatis appetentis, nil aliud eſt niſi (ut ait Ariſtoteles in tertio de Anima) motus quidam ad illud obiectum, quod bonum iudicauimus: Hinc conditio appetitionis & motus, recta ratione reſpondent conditioni facultatis cognoſcentis: ſi enim cognitio fuerit confuſa; appetitio, & motus confuſus erit, vt dicitur in tertio de Anima; ſi diſtincta ſimiliter diſtincta erit appetitio, & motus. In ſtirpanimalibus, hęc tria confuſiſſima penitus ſunt in homine prudente exactiſſima, & diſtinctiſſima, In Iumentis, & feris, medio quodam modo ſe habentia, colligamus itaque obiectum, mentem, & appetitum eſſe principia motus denotando nomine mentis, etiam phantaſiam, nomine vero appetitus, voluntatē quoque, & præelectionem, quibus quarto loco organa inſeruiunt motui deſtinata, & congruens facultas in eis poſita, & præſertim in cardinibus oſſium poſita, & ligamentis.

Alterum quod elicitur.

Principiũ motus.exſequens.

Appetitio & cognitio ſibi mutuo reſpõdent.

De principio motus duo proponuntur & diluuntur dubia. Cap. XXIII.

ASSERTVM eſt internum principium motus animalium eſſe mentem, & appetitum. At de vtroque non leuis occurrit dubitatio, & primo de mente aſſeruit Ariſtoteles in primo de partibus animalium mentem ad Phyſicum non attinere, non eſſe naturam, nec eſſe principium motus, idque demonſtrauit; Quia id ſine quo aliquid ſeruatur, non debet cenſeri principium eius, at motus ſeruatur in Iumentis, & feris ſine mente, non itaque ſtatui debet principium motus. Altera dubitatio eſt de appetitu, nam frequenter Animalia, & præſertim homo, præter appetitum mouentur, commedunt febre laborantes præter appetitum, & famuli iuſſu Domini contra propriam appetitionem frequenter incedunt, non itaque appetitus eſt proximum, & neceſſarium principium motus. De prima dubitatione nil dico, iam enim cap. 4. Soluta fuit & fuit oſtenſum mentē eſſe principium motus non proximum, ut natura, ſed remotum; nec vere eſſe principium motus, ſed potius formæ, & modi eius, nec eſſe principium motus naturalis, ſed artificioſi; & demum non eſſe principium adequatum, cuiuslibet motus animalium, ſed alicuius tantum. Pro ſolutione ſecundæ difficultatis conſiderandum eſt, ſemper motum animalium proxime ex appetitu prodire, cognitionem ſequente, ſed quia appetitus, & appetitio multiplex eſt, & motus aliquando prodit ex uno, & aduerſatur alteri appetitui, ideo apparet nonnunquam eum ex appetitu nō prodire. & pro exactiore notitia animaduertendum, in appetitionibus varias poſſe reperiri uarietates,

Prima dubitatio.

Altera dubitatio.

Quomodo mēs ſit, & non ſit principiū motus.

Qūo appetitus ſit principiū motus.

Appetitionū pugnæ.

134

tates,& pugnas,quæ præſertim in ſex capita rediguntur. Nonnunquam verſatur pugna inter cupiditatem variarum rerum, dum eas ſimul aſſequi cupimus, cum tamen id nobis datum non ſit. Secundo conſideratur pugna in appetitu iraſcibili, dum ſimul duo ſe offerunt, quæ ad irā nos prouocant, vt ſi Regem aliquem duo aduerſi Principes per diſtinctas Regni ſui partes inuadunt, & vtriſque ſimul occurrere expetit. Tertio conſideratur pugnam appetitu rationem ſequente, dum aduerſę rationes in nobis excitant appetitiones aduerſas. Quarto conſideratur pugna inter appetitum iraſcendi,& illum concupiſcendi, ut accidit dum Princeps aliquis ſimul concupiſcit imperiū alicuius Vrbis & timet vires cuſtodientium eam. Quinta pugna verſatur inter rationem, & appetitum concupiſcē di, quæ pugna in vero continente, vel incontinente conſpicuè fulget, videt vir incontinens meliora, probatque, deteriora tamen ſequitur. Poſtrema pugna uerſatur inter appetitum iraſcendi, & rationem; ratio iudicat non eſſe iraſcendum, nec inuadendum, inimicum, appetitus iraſcendi econtra illum ad uindictam impellit, cum in homi ne, uel alio quo uis, aliqua harum pugnarum exoritur, cō ſideratur maior uis unius partis, eiuſque uictoria, & ea pars quæ dominatur cum alteri præualeat, impedit motum alterius, & ea redditur principium motus, Omnis ita que materia ex appetitu pendet, uel præualente, dum eſt cum pugna uel abſolutè, dum omnis interna pugna abeſt, inſtabatur de febre laborante, qui ſine appetitu commedit, & frequenter illud alimentum accipit, quod minime optat, Reſpondeo in febricitante conſiderari pugnam inter appetitum ſalutis, & appetitum cibi, nonnunquam præualet appetitus ſalutis, ideo commedit ea, quæ pro ſalute conferunt, quamuis ſenſuum cupiditati aduerſentur, ſimiliter qui contra proprium appetitum in aliquem lo-

Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

cum tendunt, id faciunt quia in eis appetitus obtemperandi præualet, & dominatur ſic itaque quotieſcunque pugnantibus appetitionibus homo operatur, ſimul, & cōtra appetitum, & per appetitum operari dicitur, abſolutè tamen per appetitum operatur, quia id facit per dominātem appetitum.

Idem motus contra appetitum & ſecundū appetitum eſſe pōt.

De modo quo Animal mouetur Opinio aliorum. Cap. XXIIII.

ANIMALIA moueri per animam, & animā eſſe principium motus animalium; conſentiunt profectò omnes, at de modo magna eſt alteratio, magnaque opinionum uarietas. Veteres Philoſophi non ualuerunt immaginari, id quod ex ſe nō mouetur poſſe eſſe principium motus aliorum. Propterea Democritus, & Epicurus animam ex athomis cōſtare dixerunt ſui conditione, maxime mobilibus. Plato qui cum Pijthagora animam non eſſe corpus optime nouit, aſſeruit eam ex ſe Moueri, ac ita eſſe principium motus aliorum, idque oſtenderunt quoniam omnè per aliud tale, ad id redigi debet, quod ex ſe tale ſit corpora compoſita per aliud mouentur, ideo ad id eſt deueniēdum, quod ex ſe mouea̅tur; huiuſmodi autem nil aliud eſſe poteſt præter animam; Ideo animam definiebant, Academici, quod eſſet numerum ſe mouens, & ſimplicius potius Platonē, quam Ariſtotelem ſequens, dicebat animam diuidi in utentem, & formantem, partem utentem aſſerebat uerè, & præſertim animam eſſe, formantem uero cenſebat eſſe tanquam umbram, idolum, & ueſtigium utentis, qua diſtinctione facta dicebat partem utentem liberam, & uerè animam eſſe principium mouens, corpus uerò formatri-

Veterum opinio.

Ratio.

Simplici⁹.

ce

ce parte formatum per formatricem illam facultatem proximè moueri,ac ita per hæc duo principia ſubordinata,animalia ad libitum moueri aſſerebat Hæc opinio confirmari poſſe uidetur per Ariſtotelem in libro de motu animalium capitulo ſeptimo dicentem, animam ita mouere, vt ſit non in toto corpore, ſed in corde tanquam in arce, ac ita mouere uniuerſum corpus; his uerbis indicat animam vtentem, tanquam principium reſidere in corde, ac ita corpus facultate formatrice formatum per eam mediam mouere. Hæc ſententia cum à vero, tum à principijs peripateticis longiſſime abeſt, nam primo ea animæ diuiſio in utentem, & formantem approbanda non eſt, nam formans ea eſt, quæ cum ſit forma eſt eſſentia, & quod eſt res, ſi autem præter eam daretur etiam utens, quæ præſertim eſſet anima, tunc unius rei duæ eſſent eſſentiæ. Præterea tunc uera non eſſet ſententia Ariſtotelis in ſecundo de anima, quod eadem anima eſſet forma, finis, & efficiens, ſed utens eſſet efficiens formatrix uero forma. Præterea dixere alij animam mouere, corpus moueri, compoſitum uerò mouere, & moueri, quę opinio etiam apprimè dubia eſt. Primo quia forma ex materia pendens, non operatur ſine corpore, non enim habet opus proprium, non pendens à corpore. Præterea ſentẽtia eſt Ariſtotelis in prohemio methaphiſicæ, actiones eſſe compoſitorum, nam actiones ſunt rei abſolutę, & completę huiuſmodi non eſt pars, ſed totum; hinc Ariſtoteles in primo de Anima. 65. inficiatur animam ſentire, & intelligere quare longe magis inficiabatur eam mouere de loco ad locum cum hæc operatio, magis ſit materiata, & complicata cum corpore, quam cognitio.

Confirmatio.

Euerſio.

Aliorum opinio.

Euerſio.

De modo, quo Animal mouetur opinio propria Cap. XXV.

QVONIAM relatę opiniones, ſatis dubiæ apparuerunt; propterea dicamus, dum animalia mouentur; & modum explicare cupimus, vel aſſignare uolumus adęquatum efficiens adęquatumque patiens, uel aſſignare cupimus non efficiens adęquatum, ſed rationem præcipuam efficiendi, ſimiliter, & patiendi, ſi primum explicare cupimus, dicendum eſt totum animal id eſſe, quod mouet, totumque animal id eſſe quod mouetur; non enim ſola anima mouet, ſolumque corpus mouetur, ſed totum eſt, quod eſt agens, & patiens adęquatum. At ſi non adæquatum principium, ſed rationem primam tradere cupimus, tunc dicendum eſt Animam eſſe principium efficiendi, corpus uero patiendi, omnis enim perpeſſio ex materia oritur, actio autem, & effectio ex forma, quæ forma ſi patitur, eatenus patitur, quatenus ex materia pendet. hæc, quæ hactenus declaraui ſunt communia quædam; quorum cognitio non eſt ſatis pro exacta notitia attinentium ad motum animalium, neceſſe eſt enim etiam ad propria, & proximiora deſcendere, ut modum percipiamus, quo ex communibus illis prodeat motus. Propterea conſiderari debet hic ordo, primo obiectum aliquod offertur facultati cognoſcenti, ueluti offertur Alcibiades à quo iniuria fuimus affecti, qui primo abſolutè iudicatur, & cognoſcitur, quod Alcibiades ſit, ſecundo per phantaſiam iudicatur tanquam inimicus, tanquam aduerſus nobis, & pœna dignus, quo iudicio, includente uim, & facultatem obiecti conſpirante quadam

Mouens adęquatum eſt totum animal.

Anima primarō efficiendi motum.

Ordo qui ſeruatur in productione motus.

dam

dam nobiſcum conſenſione, ex diſſenſione, excitatur ira, & appetitio uindictæ, per quam excaleſiunt, alterantur, & extenduntur ſpiritus. Obiectum enim in eſſe cognito, appetitum excitans, uel habet uim calefaciendi ſpiritus, quod confert pro repulſione, uel refrigerandi, quod confert pro condenſatione, & attractione; Attractio autem, & repulſio ſunt proxima principia omnium motuum animalis. Prima itaque eſt cognitio obiecti abſoluta, ſecunda eſt ſubnotio rei, ut bona, uel aduerſa, tertio ſequitur appetitio in qua appetitione conſideratur, uel excalefactio, uel refrigeratio prodiens ex cõditione obiecti cogniti, calefactionem ſequitur dilatatio, refrigerationem contractio, ex quibus prodit pulſio, & tractio, tanquam ſemina ſequentium motuum, ut optimè in libro de motu animalium patefecit Ariſtoteles. Ex his conſtat, quòd cognitio, & natura ſunt principia motus, cognitio inquam obiecti, natura uerò, quia ex conditione obiecti in eſſe cognito oritur calor, uel frigus, has alterationes ſequitur contractio, & dilatatio, contractionem ſequitur tractio, extenſionem uero pulſio, quæ tractio, & pulſio ſunt principia cæterorum omnium motuum, qui animalibus competunt ut ex libro de motu animalium, & ex ſeptimo Phy. nec non ex tertio de anima elicitur. Ita uera redditur ſententia Ariſtotelis in ſeptimo Phy. contex. x. dicentis, ſimulquè patet non eſſe aliud genus motus, quam concretionem, & ſecretionem, quo loci dixit Alexander referente ſimplicio, concretionem, & ſecretionem, eſſe generaliſſimas mutationes. Eadem ſententia elicitur ex octauo Phy. 55. & 77. quæ etiam longe prius fuit ſententia Platonis, & hæc præſertim uera ſunt, conſiderando motum, maxime naturalia principia ſequentem, nam motus ut abſolute fit

KK ſpontè

ſpontè, & liberè, non tam conſpicuis præcurrentibus alterationibus eget, ex his conſtat quomodo anima per cognitionem, & appetitum ſit principium motus, quamuis ipſa non moueatur, niſi ex euentu ad motum corporis, & quia inſtabatur, quod omne per aliud tale ad id redigi debet quod ex ſe tale ſit reſpondeo in mobilibus id cenſeri debet ex ſe mobile, quod per ſuam formam, & internum principium mouetur, nam ſine diſtinctione in motorem, & mobile nil ex ſe moueri poteſt; cũ ex ſe moueri, expoſcat actionem & perpeſſionem.

Solutio aduerſæ rationis.

Explicantur nonnulla alia, quæ pro motu animalium requiruntur. Cap. XXVI.

IVMENTA, & feræ cum ſint mentis expertes ſolam phantaſiam ſequentes, non rationem ſed naturalem quendam inſtinctum ad ea, quæ cupiunt mouentur, homo uerò libertate donatus in ſuaque facultate poſitus, mente, & ratione dirigitur, nam obiecta ſinè ullo eorum motu excitant ſenſus, Phantaſiam & Mentem, Mens ſpiritualiter excitata de medijs ratiocinatur pro fine exequendo opportunis, & conſultatione vnum alteri præfert, illudque phantaſiæ offert, quam ſequitur prælectio illius, & inde conſurgit motus, niſi appetitus ſenſuum penitus aduerſetur. Dum Mens ratiocinatur, utitur duplici propoſitione, una communi dirigente, altera particulari ad motum, & actionem contrahente, actiones enim ſingulares, & ſingularium ſunt non communium, dicit gratia exempli Mens, omnis ciuis rectè inſtitutus ſalutem patrię ſuę propriæ ſaluti præferre tenetur, Ego ſum ciuis, & profiteor me rectè inſtitũ eſſe & agitur in hoc nauali pręlio de ſalute meæ

Mens quomodo principiũ motus.

meæ Patriæ, teneor itaquè ego ſalutem Patriæ, dimicando meæ propriæ ſaluti anteferre, ac ita mens præcipit dimicandum Phantaſia à mente formatur, præeligitur pugna, & pro faculate dimicatur, ſic intelligi debet ſententia Ariſtolis in tertio de Anima. 56. aſſerentis dari phantaſiam cum ratione, & ſine, Phantaſia hominis dicitur eſſe cum ratione, non quia ipſa ratiocinetur, ut perperam nonnulli aiunt, ſed quia frequenter à ratione formatur, eamquè ſequitur, & cum Mens dirigendo ad motũ utatur duplici enunciatione, una communi altera particulari, iure quæritur, an utraquè moneat, uel altera tantum, cui interrogationi vnà cum Ariſtotele in tertio de Annima. 55. reſpondens dico, mouere quidem utramque, at uario modo, prima, & uniuerſalis enunciatio eſt motor, remotior, altera proximior, prima eſt conſtans, firma, & immobilis, altera uarietati, & motui magis ſubijcitur, cum ſit de re illa ad quam motus pertinet, prima mouet magis ut Domina, & modo eminentiore, altera ut pediſſequa & modo maniſeſtiore, prima ſe habet, ut conſultor, altera ut directũ aliquid à conſultore, conſultor autem, quamuis nonuideatur mouere, maximè tamen mouet, ut teſtatur Philoſophus ſeptimo de Republica capit. tertio. Minor enuntiatio magis dicitur mobilis; tum quia eſt de ſingularibus, in quibus eſt uarietas, & motus; tum quia eſt complicata cum phantaſia, ad quam motus aliquis attingit, tum demum quia proximius monet, & nectitur cum motu. At altera dubitatio oritur, dictum eſt motum omnium animalium fieri tractione, & pulſione; Quæritur an abſolutè motus omnis in loco, tractione, & pulſione fiat, & num huiuſmodi motus ſit uiolentus, cum in ſeptimo phyſicorum, tractio, & pulſus inter uiolentos

Quomodo moueat enunciatio uniuerſalis.

Quomodo particularis.

An motus omnis fiat pulſu, & at tractione.

De motu uiolento. lentos motus etiã numeratur. Cui difficultati reſpondens dico, motum omnem uiolentum proculdubio tractione, & pulſione fieri, & quia trahens, & pellens, non ſunt interne mobili, ſed externa, & mouent contra propen- De motu animaliũ. ſionem mobilis, ideo motus eſt uiolentus, inter quos uiolentes motus etiam numeratur aertigo, & uectio, at hi duo motus ſunt magis compoſiti, & ex pulſu, & attractione pendent. Addo ſecundo motum omnem animalium fieri tractione, & pulſione ueluti, dum ambulamus pes poſterior primo trahitur, mox ad anterius pellitur; tractio eſt ad principium trahens, pulſus contra eſt remotio à principio, hæc tractio animalium, & pulſus non fit ſine inſtrumentis, & diſtinctione membrorum, fit enim tractio, & pulſus, ab anima per ſpiritum, neruos, & muſculos, & quia adeſt actio, & perpeſſio inter partem trahentem & tractam, ideo eſt neceſſaria diſtinctio partium, ita tamen ut ligamento aliquo ſint uinctæ, ac vt motus ſit firmior, & conſtantior, requiritur ſolidum aliquod, ideo parata ſunt oſſa cardine, & commiſſura iuncta, in quibus gibbum, & concauum reperitur: in tractione, & pulſu, quod mouetur concauum eſt, quod De motu ſimpliciũ corporũ. circa gibbum, reuoluitur, utquè id facilius, & ſine oſſiũ leſione fiat, mediat humor aliquis ex neruis cartilagine, & ligamentis prodiens flexioni, ſummopere neceſſarius. Simplicius. Si tertio loco loquimur de motu phyſico grauium, & leuium, inquiunt Philoponus, & ſimplicius etiam motum illum tractione, & pulſione fieri: nam ait ſimplicius Ariſtoteles. ſequens ſuo more Academicos, motum quat uor elemẽtorum tractione fieri, quia à ſua uniuerſitate trahuntur ueluti partes ignis ab uniuerſa ignis ſphera, quam Anima præditam, iudicarunt Academici; At ex aduerſo Ariſtoteles inficiatur elementa uiuere, & eorum partes

à ſua

à ſua uniuerſitate trahi, ſed moueri ait à generante, uel remouente impedimentum. Propterea dicamus motum fieri tractione, & pulſione, de motu ſimplicium corporum non eſſe omnino uerum, ſed tantum ſimilitudine quadam, ueluti in motu lapidis deorſum, conſideratur tractio à proprio loco tanquam à fine, non autem tanquam ab efficiente, inſuper conſideratur tractiò aeris ſuccedentis in locum derelictum à lapide, ne detur uacuum; demum conſideratur pulſio facta ab eodem aere ſuprà locum lapidis ſuccedente, illumque à tergo pellente, ex qua pulſione pendet, quod quo diutius grauia deſcendendo mouentur, eo velocius feruntur; continenter enim creſcit agitatio aeris, & maior redditur pulſio à tergo facta. Similiter de cęli motu loquendo non proprie fit pulſu, & tractione, ſed tantum ſimilitudine quadam. Conſideratur in cęlo tractio dupliciter, primo inſpiciendo motum totius competentem planetis, dicitur enim mobile primũ ſecum ducere, & trahere inferiores orbes, hic tamen eſt raptus diuinus prodiens ex ſupremo motore tanquam ex communi fine omnium, & primo mouente, qui raptus eſt, perfectio eorum quæ rapiuntur, & conſentaneus communi naturæ eorum; Inſuper conſideratur pulſio, & tractio in cęli orbibus, dum proprio motu mouentur, Nam intelligentia vt motum efficit, dicitur ſua virtute tangere & pellere orbem; vt vero eiuſdem motus eſt finis, dicitur ad ſe trahere, ſic itaquè de motu violento, & motu animalium, proprie verum eſt quod fiant pulſu, & tractione, de cęteris ſimilitudine tantum, & quamuis animalia pulſu, & tractione moueantur, non propterea eorum motus eſt uiolentus, id enim fit non per externa, ſed per interna pellentia & trahentia, & per inſtrumenta

Opinio propria.

Hæc ſententia ſecundi de cœlo Pulſio in medio ueloci or.

De motu cęli.

menta ad id per naturam deſtinata, & ideo dicitur ſecundum naturam totius animalis.

Quomodo pro animalium motu requiratur quieſcens. Cap. XXVII.

SAtis manifeſte apparuit motum animalium propriè pulſu & tactione fieri, ex quo colligere valemus pro animalium motu neceſſario requiri aliquid quieſcens, & ratio eſt quia tractio fit ad quieſcens, pulſus verò à quieſcente trahit vnũ quodquè ad principi ſuum quieſcens & ab eo repellit, ſic nerui, & muſculi trahunt, & repellunt. Et quoniam motus animalium eſt duplex unus totius, alter partium, ideo pro vtroque motu requiritur quieſcens, ſi motum totius conſideramus, quieſcens debet eſſe externum, nam ſi eſſet pars animalis non totum moueretur, ſed pars ſola; ſic homines dum ambulant expoſcunt terram ſolidam, & quieſcentem, nec valent per aerem, vel aquam ambulare, non enim poteſt fieri pulſio, & tractio, niſi adſit requieſcens, ſimiliter Aues in vacuo volare non poſſent, nec etiam in Aere valent ſine pennis volare, quia Aer latitudini, & leuitati plumarum reſiſtit, non autem reſiſteret corpori graui, & extenſionis experti, ſi uerò conſideramus motum, non totius, ſed partium animalis, tunc pro eo requiritur quies in aliqua parte, ueluti ſi bracchium pellendo extendimus, uel trahendo contrahimus, adeſt principium neruorum, & muſculorum quieſcens, à quo, vel ad quod fit pulſus, & tractio, ſimiliter ſi ambulamus quieſcit pes vnus, alter uerò uel trahitur, uel pel-

Quieſcẽs requiſitũ pro motu animaliũ.

Aues in uacuo non uolarent.

pellitur, non ſecus etiam reuolutio partium, expoſuit cardinum requietem. Aperte itaque pro animalium motu requiritur quieſcens, ne dum externum ſed etiam internum, ſimiliter conſiderando motus uiolentos, illi quoquè ex parte pellentis & trahentis, expoſcunt quieſcens. Dubium eſt de motu phyſico elementorum, & cœli, non enim eorum motus videtur expoſcere quieſcens aliquod, & Philoſophus & ſimplicius aiunt, id quoquè verum eſſe de motu elementorum. Inquit ſimplicius partes ignis trahi ab uniuerſa ignis ſphera quieſcente, vt iam dixi partes elementorum à ſuo toto non trahi, ideo Ariſtoteles in libro de motu animalium capitulo tertio dubitauit, an pro motu inanimorum requiratur quieſcens, & ſoluens, ait non requiri quieſcens eis internum, ſed cum moueantur ab alio & principium primum motus id ſit, quod ex ſe mouetur, de illo inquit uerum eſſe, quod expoſcat quieſcens, non de elementis,non itaquè Ariſtoteles quietem tribuit ſpheræ trahenti, ſed primo mouenti elementa, quod primum ex ſe moueatur, & huiuſmodi eſt cęlum. Quare dicamus pro motu elementorum non propriè requiri quieſcens, ut pro motu qui ſit uero pulſu, & tractione; requiri tamen modo aliquo quatenus elementa moueantur, vel à centro, vel ad centrum, quod quieſcens eſt; Inſuper mouentur uel à cęlo vel ad cęlum, quod ut totum quieſcit, nec locum mutat; Ideo Ariſtoteles quietem conſiderauit in eo, quod elementa mouet, nempe in communi generante, quod cęlum eſt, quod cum ex ſe moueatur, uere expoſcit quieſcens, & id triplex eſt, motor ſcilicet, centrum, & poli; primo motor cum ſit immobilis dat cuncta mo-

De motu uiolento.
De motu grauium & leuium.
Simplicius.
Euerſio.
Opinio propria.
Cœlum expoſcit triplex quieſcens.

mouere, vt in libro de motu animalium patefecit Ariſtoteles: ſecundo mouetur cęlum circa immobile centrum; ut in ſecundo de cęlo manifeſtatur. Tertio omnis cęli motus eſt circa ſilios, ſiue uertices, qui immobiles ſunt, Primum immobile eſt extra cęlum; nam cęlo præeſt alterum intra cęlum; Tertium in ipſomet cęlo; ex his conſtat, quod ut non ſeruatur quies ſine motu, nil enim quieſcit niſi aptum ſit moueri ita non datur motus ſine quiete, propterea vera non eſt ſententia Simplicij in octauo phyſicorum. 23. dicentis, qui negant dari motum, euertunt quietem, & non uice uerſa, qui negant dari quietem, euertunt motum; immo etiam hi motum euertunt, cum nullus detur motus, non expoſcens modo aliquo quietem; ita uincta ab immobile procedunt & per motum demum in immobile reuertuntur.

Non ſeruatur motus ſine quiete.

Dictorum Epilogus, & peroratio.

LVSTRAVI ea breuitate, & facilitate qua potui, unà cum Peripateticorum Principe cunctos animæ gradus, qui in mortalium orbe inſpiciuntur, ex quorum explicatione eluceſcit primo abſolutiſſimus numerus graduum viuentium; eluceſcit ſecundo perfectio hominis, cum illi omnes gradus in homine, tanquam in uniuerſi epilogo inueniantur; refulget tertio, Mundum re uera eſſe uniuerſum, cum in eo cuncta inueniantur, nilquè eorum deſit, quæ pro vniuerſi abſolutione requiruntur, emicat quarto eximia opificis rerum prouidentia, & cura, cum omnia ſupra huma-

humanum captum per ſe formata, in ordinemquè redacta inſpiciuntur, adeo ut in eum conuerſi exclamare exultando valeamus, ò præclarum, & admirabile bonum, à quo nil niſi bonum, & bona cuncta fęcundiſſimè procedunt, tu nobis facultatem nutricem dediſti, per quam uiuimus, noſmetipſos ſeruamus, perficimus corporis molem, & ſpeciem conſeruamus æternam; Dediſti ſenſus omnes pro quibus non humiles lapides, ſed animalia reddimur, per quos, & ſenſilia cuncta, quæ formaſti exquiſitiſſimè iudicamus, ut uitare aduerſa, & utilia proſequi ualeamus; dediſti facultatem iudicantem, & appetentem hoc eſt actionum noſtrarum ducem, & exequentem, ne dux careret exequentibus, & exequentia duce, & dirigente; Demum nos rationis, & mentis formaſti participes ut mortalibus cunctis Dominaremur, ut frueremur libertate, & ex recto libertatis uſu, ſummi boni, redderemur compotes, ſic abſolutiſſimo circulo à te, per te, in te omnia reuoluis, ſic rebus, & uniuerſo tribuis eſſe bene eſſe, & optime eſſe, tanquam principium, medium, & finem earum. Munere facultatum, quibus donatus eſt homo, valet per ſenſum fieri cuncta ſenſilia, per intellectum fieri cuncta intellectilia; Nam homo primo per naturam, eſt cuncta poteſtate, ſecundo per diſciplinas eſt omnia habitu; tertio per vſum eſt omnia actu. Inſuper munere ſcientiarum eſt omnia ad contemplationem attinentia, munere prudentiæ, eſt omnia pertinentia ad actionem; Munere artium eſt omnia pertinentia ad effectionem; & cum homo varijs rationibus ſit omnia, iure optimo, & Mundi, & Dei eſt imago quædam, cum de ratione, primo Dei, mox Mundi id ſit, ut omnia ſit, ex harum facultate congruente uſu, perfectio poſtrema, & ſummum hominis

Homo ut eſt omnia ita Dei, & mundi eſt imago.

Ll Do-

Donum emergit, vt ex earundem præ poſtero uſu miſeria hominis maxima, ortum ducit, Magnificemus itaque vniuerſi opificem, & de recto facultatum animi uſu ſimus ſoliciti.

Vt Dei reddamur generoſa
proles, grata parenti, Patriæ vtilis, &
nobisſimet apprime
ſalutaris.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM TOTIVS OPERIS.

ABSTRACTIONVM numerus qui. 176
Abſtractio intellectus, & Mathematica, qua. 177
Abſtractio Mathematica, vnde ortum ducat. 178
Abſtractionis gradus diſtincti. 180
Abſtracta, non ſunt Phyſicæ conſiderationis. 205
Academicorum de ſenſibus dæmonum opinio. 64
Academicorum circa deceptionem ſenſuum opinio. 107. & 109. refellitur. 110
Academicorum de deceptione ſenſuum opinio, quomodo vera. 112
Academicorum de intellectu agente opinio. 242
Acriconia anima, quid ſit. 13. vt conueniat ſcientiæ de anima. 14
Accretio viuentium quomodo fiat. 78
Accretionem nutritioni præferendam, quomodo verum, & quomodo falſum. 88
Actum ſecundum eſſe formam operantem, falſum. 31
Actus primus, quot accipiatur modis. 35
Aeſtimatio, qua. 183
Aeſtimatrix ab Auerroe iumentis perperam tributa, 185
Aeterna animæ facultas, diuerſi generis cum mortali. 54
Aeterna diuerſimode ſe habent à mortalibus. 63
Alberti opinio de numero inter verum ſenſitiuum. 182
Alexandri error circa ordinem librorum Ariſtotelis. 10

Alexandri opinio de anima.5.euertitur.6.
Alexandri opinio de anima. 19
Alexandri de animæ definitione ſententia. 44
Alexandri opinio circa alimentum. 80
Alexandri de ſenſibus opinio, partim probatur, partim non. 110
Quomodo intelligenda. 111
Alexandri de actione ſenſuum opinio. 127
Alexandri de obiecto viſus opinio. 136
Alexandri de perſpicuitate opinio. 165
Alexander intellectum agentem, voluit eſſe Deum. 234. & 235.
eius opinio refellitur. 236. & 237
Alexandri opinio de ordine motus. 257
Alimentum, quatuor requirit. 79
Alimentum quando contrarium, quando ſimile. 80
Alimentum à calore viuentis naſci debet. 81. *Debet eſſe mole præditum.* 82
Alimento, quomodo vtatur anima. 86
Alimentum cauſa vitæ. 88
Alimentum idem cur fami, & ſiti ſatisfaciat. 96
Alimenti ſenſus, qui, 98
Alimentum obtinet locum materiæ. 100
Anaxagoræ opinio de mente. 216
Anaxagorę opinio probat humani intellectus æternitatem. 217
Animæ pręſtantia, ex quibus innoteſcat. 1. & 2
Anima ad ſupera, & ad infera relata. ibid.
Superorum, & inferorum modus. ibid.
Animæ creatio, Dei beneficio. 3
Maximis Philoſophis immortali habita. ibid.
Animę notitia a quam pluribus perplexe tradita. 4
Animę conditio, quę. ibid.
Anima cœli diuerſimode ab Ariſtotele, & Platone habita. 5
Animæ conſiderationes præcipuæ tres. ibid.
Animæ nutrientis, & ſentientis ſcientia Phiſica. 7
Animæ ſcientia, media inter naturalia, & diuina. 8
Animæ cognitio nobilis, & ardua. 13
Anima eſt difficillimæ cognitionis. 15
Animæ cognitio, vnde hauriatur. 17
De eius eſſentia opiniones quatuor. 18. & 19
Animam eſſe corpus, & crediderint quidam.

Qui-

Quibus rationibus probetur non eſſe corpus. 20
Vt probetur incorporea. 21. & 22
Animam quibus rationibus probetur accidens. ibid. & 23
Vt probetur eſſe ſubſtantiam & non accidens. 24
Anima eſt forma. 28
Animam nutrientem ratione nutritionis ſemper operari, falſum. 31
Animam non operans, non deſinit eße anima. 32
Animæ recta definitio quæ. 33
Duo obit munera in conſtitutione animalis. 34
rectè dicitur prima perfectio. ibid.
Vt ſit prima perfectio corporis phyſici inſtrumentarij. 38
Animæ duo munera in uiuente. 42
Animæ definitio tradita ab Ariſtotele an conueniat cælo & dæmoni. 45
An animæ à corpore ſolutæ. 46
Anima non eſt corpus, nec ſine corpore. 47
Animam dicere non eſſe corpus, non eſt ſatis. 49
Animę definitio tradita ab Ariſtotele, quomodo perfecta, & quomodo diminuta. 50
Eius uniuerſa definitio quam neceſſaria. 51
Animæ eſt principium triplici genere cauſæ. 52
Eius facultates quot. 54
Animæ facultates, quid ſint. 55
Animæ, quæ neceſſaria, ut in uiuente ſeruetur. 62
Anima ſine calore operari in corpore nequit. 64
Animæ ſedis opiniones uariæ. 70
Animam non eße poſitam in corde, uti comprobetur. 73
Anima, quæ extendatur, quæ non. 74
Animæ materialis conſideratio triplex. 75
Anima utitur alimento triplici ratione. 86
Animę nutrientis præſtantiſſima operatio, quæ. 87
Animæ nutrientis inſtrumentum quod. 100
Animæ nutrientis operationes antecedentes, quæ. 101
Animæ immortalitatem, quomodo aliqui ex Ariſtoteles negent. 191
Animæ conſideratio tradita ab Ariſtotele, quæ nam ſit. 192
Anima, de qua loquitur Ariſt. quæ ſit. 193
Animæ pars ad phyſicum non pertinens, eſt ſine materia. 195

Anima

Animæ gradus, cuius ſint conditionis. 205
Animæ partes loco ſecernebat Plato. 210
Animæ definitio perpenditur. ibid. Anima quomodo ſit perfectio corporis organici. 211
Animæ pars à corpore ſeparabilis, quæ. 211
Animæ partes, quæ ſeparabiles, quæ inſeparabiles. 212.213
Anima, locus ſpecierum recte conſtituitur. 218
Animæ partes, quando recipiantur. 224
Animæ partes prius poteſtate quam actu, quomodo verum. 228
Animæ immortalitas ex Ariſt. probata. 229
Animam mortalem quam prauis rationibus probent nonnulli. 231
Animæ facultates quatuor. 246
Anima principium motus animalium. 254
Quomodo moueat. 255
Animę diuiſio in vtentem & formantem, inanis. 255
Anima, prima ratio efficiendi motum. 256
Anima quomodo, per cognitionem & appetitus ſit principium motus. 258
Animal, cur non per omnem partem audiat. 59
Animalia dicuntur operari natura, & imaginatione. 187
Animal, mouetur per animam. 254
Animus impurus ſcientia peruertitur. 17
Appetens, animæ facultas. 54
Appetiones duæ conſtituunt famem & ſitim. 95
Appetitio, & cognitio, ſibi mutuo reſpondent. 251
Appetitus quomodo principium motus. 252
Appetituum pugnæ, quæ. 253
Appetitum diuerſi gradus. 66
Duplex in ſentientibus. ibid.
Appetitus in mente duplex. 76
Appetitus ſenſitiuus, quomodo à voluntate diſtinctus. 68
Appetitus cognitione ignobilior. 69
Appetitus perfectio in cognitione includitur. 70
Ariſtoteles, cur in libris de anima, non de anima cæli mentionem fecerit. 4
Et cur. 5
Non dicit intellectum eſſe naturam. 6
Quomodo agendum propuſuerit de intellectu. ibid.

Ani-

Animæ ſcientia, non eſt mathematica. 7
Ariſtotelis librorum ordo. 9.& 10
Ariſtotelis opinio de anima. 19
Ariſtoteles dæmones non nouit. 37
Ariſtotelis de anima definitio, an conueniat cœlo & dæmonibus. 45
Ariſtotelis de ſenſu & potentia opinio. 57
Ariſtotelis verba de potentia & eſſentia animæ, vt intelligenda. 58
Ariſtoteles, vitalem animæ facultatem non dimiſit ſine conſideratione. 61
Senſum ab intellectu re diſtinguit. 68
Ariſtoteles cognitionem appetitu prætulit. 78
Ariſtoteles animam in corde, 71
Ariſtotelis de alimento ſententia cæteris contraria. 82
Ariſtoteles iniuria circa coctionem reprehenditur. 85
Ariſt. à quibuſdam de nutrimento non intellectus. 89
Quomodo famem & ſitim definiat. 94
Ariſtoteles, quem poſuerit ſenſum alimenti. 98
Ariſtotelis opinio de incipiendo à communibus. 105
Ariſt. ſententia de ſenſibus circa ſenſibilia communia. 106
Ariſtotelis ſententia de certitudine ſenſuum approbatur. 112
Ariſtoteles ſenſilia communia ſentiri per ſe affirmat. 114
Ariſt. opinio de cauſa efficiente ſentiendi. 126
Ariſtotelis, de ordine ſenſuum oppinio. 133. *probatur.* 134
Ariſt. diſſentiens à perſpectiuis in modo uidendi. 159
Ariſt. cur odoratum igni tribuerit. 175
Ariſt. animam tenuit immortalem. 190. 206
Ponit ſubſtantias abiunctas. 107
Semper facit intellum immortalem. 222
Artifex non definitur per inſtrumenta. 38
Aſſimilatrix præcipua inter facultates animæ nutrientis. 101
Auditus nobilitas, quæ. 169
Quibus rationibus à quibuſdam uiſui præferatur. 170
Auditui quibus rationibus præferatur uiſus. 171
Auditus, quomodo viſui præferendus. 172
Auempacis, de lumine opinio. 137
Auempacis opinio de obiecto uiſus abſolute falſa. 140
Aues, in uacuo non uolarent. 162
Auerroes,

Color,ſpiritualiter agit uirtute luminis. 124
Color,an obiectum uiſus. 135
Colores in tenebris,an actu colores. 140
Conciliatio Ariſtotelis cum Platone de inſtrumento uiſus. 147
Conditiones ſenſibilis proprij. 105
Coniunctio animæ cum corpore, eſt uitæ principium. 62
Conſenſus Ariſtotelis & Platonir circa uidendi modum. 160
Contrarietas alimento,uti conueniat. 79
Corporis conditiones quæ. 21
Corpus cauſa extenſionis animæ. 75
Corpora qua de cauſa perſpicua. 164
Corpora non omnia perſpicuitatem admittunt. ibid.
Corporibus phyſicis omnibus, an competat perſpicuitas. 165
Corpora mixta craſſa perſpicuitate prædita. 166
Corporum ſimplicium motus qui. 260

D

Definitio animæ cur cœlo non competat. 4
Definiendi genus quotuplex. 16
Definitio recta animæ, quæ ſit. 33
Definitio animæ ab Ariſt tradita defenditur. 38
Definitio partis conueniens,quæ. 40
Definitiones ab Ariſt.terminis proprijs traditæ. 41
Definitio quomodo ſemper debeat conuenire definito. 48
Definitio animæ tradita ab Ariſtotele, perfectiſſima omnium. 49
Quàm neceſſaria. 51
Definitio animę ab Ariſt.tradita, cur non conueniat dæmoni. 46
Definitio famis & ſitis ex Platone & Galeno. 93
Ex Ariſtotele. 94
Definitiones famis,& ſitis explicantur. 94
Dæmones alliciuntur à corporibus,ut phiſicis,non ut artificioſis. 37
Dęmoni, cur non conueniat definitio animæ tradita ab Ariſt. 45
Dæmonum animæ,ut ſint in corpore. 46
Democriti opinio,de actu uidendi reijcitur. 152
Denſa nonnulla, ſunt perſpicua. 164
Deus,quomodo intellectus agens. 235
Deus non eſt intellectus agens. 239
Deus in duplici conſideratione poſitus. ibid.

Deum non eſſe intellectum agentem quomodo probetur. 239

Dei conditiones , quomodo uera de intellectu agente. 241

Differentiæ in definitione , quando ſint relinquendę. 43

Differentia inſectorum & perfectiorum animalium. 79

Differentia nutrientis facultatis ab opere aliorum inanimatorũ. 78

Differentia paſſionis ſenſus, & intellectus. 219

Deuenire ad unum primum in omni genere , quomodo uerum. 140

Differentię agentis, & poſſibilis quę. 239

Differentiæ duæ, quomodo competant humanę menti. 244

Differentię agentis & poſſibilis non proprię intelligentiarum. 245

Difficultas cognoſcendi animum . 13

Diuiſio facultatum animæ, quæ. 55

Difficultas cognitionis animæ , tribus fontibus manat. 16

Diſſenſio Platonis & Ariſtotelis circa modum uidendi. 161

Diuiſio ſenſibilium, quæ. 105

Diuiſio ſenſibilum per accidens. 120

Doctrinæ Ariſtotelicę ordo. 10

E

Empedoclis de modo videndi opinio . 148

Endelechia à pluribus non intellecta. 29

Endelechia , quid communius forma. 32

Enuntiatio uniuerſalis , & particularis quomodo moueant. 255

Epicureorũ circa deceptionem ſenſuum opinio. 107. refellitur. 106

Epicuri opinio de actu uidendi requiritur. 178

Error Philoponi de anima , quod ſit mathematicę ſcientię. [illegible]

Error ſimplicij, de eadem re. ibid.

Error Alexandri de ordine librorum Ariſt. 10

Error Auicenę de eodem ordine. 11

Error Ciceronis de Endelechia. 29

Error quorundam animam definientium. 49

Error Academicorum de ſenſibus dęmonum. 64

Error peripateticorum circa idem. 65

Error quorundam Ariſtotolem circa coctionem carpentium . 85

Error ab euentu, qui ſit. 111

Error perſpectiuorum de numero communium ſenſibilium. 118

Error Madij & Portij , de partibus animę ſeparabilibus . 213

Error multorum de intellectu agente. 241

Exordium cur a communioribus ſumatur. 104

Expo-

Expoſitio duplex verborum Ariſtotelis de ſemine. 228
Externa, non ſemper neceſſaria ad cognitionem obiecti. 240

F

FAcultates animæ, quot ſint. 54
Facultatum animæ diuiſio, quæ. 55
Facultates organorum diuerſę, animæ ſunt eædem. 76
Facultas nutriens, falſo naturalis dicta. 78
Facultatum cognoſcentium diuiſio. 104
Facultates infra intellectum quot. 178
Facultates internorum ſenſuum reſident in corde. 181
Facultates internæ quatuor. 183
Facultas conſeruandi vna. 183
Facultates internas, non eſſe plures, neque pauciores tribus. 187
Fames & ſitis, vnde oriantur. 93
Fames & ſitis, vt inter ſe diſtinctæ. 96
Felicitas, affectus rei diuinæ. 230
Ferarum opera per imaginationem ſunt, non per ęſtimationem. 187
Feræ, qua mente prædita ſint. 251
Figura, ponitur inter ſenſilia communia. 118
Forma, quæ nam ſit natura. 47
Forma, quæ diuidatur ad diuiſiorem ſubiecti, quæ non. 72
Formæ mixtorum, ſunt initia motus. 202
Forma, non deſinit eſſe natura, quia non ſit initium adæquatum motus. 204

G

GAleni, de appetitu ſenſibilium opinio. 67
Galeni de alimento odorum opinio. 82
Galeni de ſectione opinio. 84
Galenus, famem & ſitim quomodo definiuerit. 95
Galeni de ſenſilibus communibus opinio. 114. quomodo vera. 115
Galenus viſionem fieri per receptionem negauit. 115
Galeni de modo videndi opinio. 148
Galeni de facultate videndi ſententia reijcitur. 150
Galenus Ariſtoteli & Platoni contrarius in modo videndi. 159
Generare ſibi ſimile, quomodo intelligatur. 86

Generatio viuentium & non viuentium, quæ. 79
Generatio, præſtantiſſima operationum animæ nutrientis. 87
Græcorum opinio de numero internorum ſenſuum certa. 186
Græci recti expoſitores cuiuſdam loci Ariſt. de intellectu. 203
Græcorum de potentia animæ opinio. 56
Gradus viuentium quatuor facultatibus conſtituuntur. 54
Gradus appetitionis, qui. 66
Gradus animæ duplex. 74
Gradus alimenti quatuor. 80
Gradus coctionis, quot ſint. 84
Gradus coctionum per fines numerati. 85
Gradus viuentium abſolutiſſimus, vnde eliciatur. 264
Guſtatus propter cibum traditus. 98

H

HIpparrhi de modo videndi opinio. 147
Hiſtoria præcedit cauſas & principia. 9
Hominis officium quod. 1. hominis perfectio pendet ex anima. 2

I

IAmblici opinio de ſtatuis animatis. 36
Iamblici de perſpicuitate opinio. 165
Imaginatio excitat appetitum. 67
Imaginatio duplex, & triplex. ibid.
Imaginatio a vehementi imaginabili læditur. 221. 221
Imaginatio, famula intellectus. 185
Inſtrumentarium in definitione animæ, vt accipiatur. 38
Inſtrumentarium & potentia viuum ſunt idem. 40
Inſtrumentarium & potentia viuum, an ſint ambæ differentiæ neceſſariæ in definitione animæ. 43
Inſtrumentarium, cur magis conueniat animæ, quam potentia uiuum. 44
Inſtrumentum animæ nutrientis quod. 100
Inſtrumenta attinentia ad vires animæ. 101
Inſtrumentum ſenſuum, quomodo patiatur à ſenſibili. 127
Inſtrumenti ſenſuum facultas una. 129
Inſtrumentum odoratus in medio reliquorum. 172

Inſtru-

Inſtrumenta ſenſuum, eorundem numerum indicant. 174
Inſtrumentum auditus ab aere conſtitutus. 175
Intellectus ab Ariſtotele non dicitur eſſe natura. 6
Intellectus, quomodo ſubſtantia immaterialis probetur. 201
Intellectus abſtractio, quæ. 177
Intellectum conſiderans, quomodo debeat conſiderare intelligibilia. 199
Intellectum non eſſe phyſicæ conſiderationis, ut probet Ariſt. 201
Intellectum initium eſſe motus dixit Ariſt. 202
Intellectus practicus, non eſt phantaſia. ibid.
Intellectus omnis rectus. 203
Intellectus quomodo principium motus. 204
Intellectus humanus probatur ex Ariſtotele diuinus, & immortalis. 205
Intellectum eſſe diuinum, & immortalem, vt probet Ariſt. 126
Intellectum incorruptibilem dixit Ariſt. 207
Intellectus eßentia, non læditur alieno malo. 208
Intellectus agens, eſt Deus ſecundum quoſdam. 209
Intellectus, dicitur perfectio corporis organici, vt anima. 211
Intellectum non eſſe mixtum, colligitur ex Ariſt. 215
Intellectus, duplici mixtione caret. 217. *plene probatur immortalis.* 218
Intellectus & ſenſus paſſiones differentes. 219
Intellectus a uehementi intelligibili nõ lęditur. 219. *monſtratur nõ mixtus cum corpore.* ibid.
Intellectus agentis prædicata tria. 221
Intellectus æternitas, clara apud Ariſt. 223
Intellectus agens & poſſibilis re unum, ratione duo. 224
Intellectus humanus, caret materia, & eſt indiuiduus. 230. *probatur æternus, ex felicitate contemplationis.* 231
Intellectus agentis conſideratio, æternitatis animæ conſiderationi iuncta. 233
Intellectus agentis conſideratio. 233. *diſtinguitur à poſſibili.* 234. *quomodo probetur non eſſe Deum.* 238
Intellectui agenti, quomodo conueniant Dei conditiones. 241
Intellectus agentis opiniones diuerſæ refelluntur. 242
Intellectus agentis, & poſſibilis eſſentia vna. 243
Intellectus agentis & poſſibilis doctrina uera. 244
Intelligendi facultas, varie ſumpta, varie terminatur. 241

Intelligentiæ ſuperiores, quomodo intelligant. 243
Iudicij recta conſtitutio, te tribus rebus fit. 112
Iudicij cauſa efficiens in ſenſilibus, non facilis. 126
Iuliani de perſpicuitate opinio. 165

L

Latinorum de potentia animæ opinio. 56
Latinorum opinio, de paſſione facultatis ſentiendi. 129
Latinorum de abſtractione mathematica opinio. 177
Libri Ariſtotelis, qui quibus anteriores. 9
Libri de generatione animalium, cur non ſuccedant libris de partibus. 11
Librorum quorundam Ariſtotelis connexio. 12
Lucretij opinio, circa ſenſuum deceptionem. 108. *refellitur.* 109
Lumen, ob quæ requiratur in viſione. 137
Lumen non redigitur ad colorem, ſed econtra. 138
Lumen ob quæ requiratur in viſione. 139. *propter quid requiratur cauſa obiecti in viſione.* 140
Lumen in viſione requiri ob medium. 142. *requiritur pro mutione, & pro receptione.* 143
Lumen ex parte inſtrumenti requiſitum, quod. 144
Lumen, quomodo neceſſarium ex parte oculorum. 145
Luminis & perſpicui familiaritas quæ ſit. 167
Luna cur infima cæterorum planetarum. 168

M

Macrobij de modo videndi opinio. 147
Madij error, de partibus animæ ſeparabilibus. 213
Magnitudo, vnus ex ſenſilibus communibus. 118
Mainetti concilium de Ariſtotelis ex Platonis videndi modo. 160
Materialis anima triplici modo conſiderata. 75
Materia, vbi dicatur bonum appetere. 66
Materiæ per gradus eleuatio. 104
Materia, paſſionis fundamentum. 223
Materia, & inſtrumentum remouentur ab intellectu. 224
Mathematica, verificantur de anima analogicè tantum. 49
Mathematicæ cur ſcientiarum certiſſimæ. 106

Mat-

Mathematicarum certitudo vnde. 107
Mathematica,non proprie philoſophia. 200
Medicamentum,non dicitur alimentum. 81
Memoria,animæ facultas. 84
Mentis humanæ immortalitas, omnium animæ conſiderationum fructuoſiſſima. 189
Mens,non eſt naturalis conſiderationis. 191
Mens humana, materialitum formarum expers. 217. *ſola aduenit extrinſecus.* 225
Mens libera in ſuis operibus. 231
Menti humanæ,duæ differentiæ quomodo competant. 244
Menti humanæ quomodo offerantur phantaſmata. 245
Mentis nomine,non phantaſiam ſolam deſignauit Ariſtoteles. 250
Mens,iumentorum,quæ. 251
Mens, non videtur principium motus. 252. *quomodo ſit & non ſit principium motus.* ibid.
Mens,quomodo principium motus. 257
Mortalia diuerſimode ſe habent ab æternis. 65
Mortalis animæ facultas,diuerſi generis cum æterna. 54
Motus, quomodo ſentiatur. 117. *inter ſenſilia communia numeratur.* 118
Motus animalium,cur tribus in locis ab Ariſt. conſideratus. 248.
Motus tres,diuerſis in locis ab Ariſt. tractati. 249
Motus ſingulis gradibus viuentium competit. 249
Motus principium ducens,quod nam ſit. 250
Motus idem contra appetitum,& ſecundum appetitum datur. 254
Motus animalis eſt per animam. ibid.
Motus,quo ordine producatur. 256
Motus principium natura,& cognitio. 257
Motus animalium,qui. 258
Motus an fiat omnis pulſu,& attractione. 259
Motus violentus qui. 260
Motus cæli qui. 261
Motus violentus:grauium,& leuium. 263
Motus ſine quiete non ſeruatur. 264
Mouens adæquatum,quod. 256

Natu-

N

NAtura, principium motus. 257
Nodus ſuperorum, & inferorum eſt anima. 2.
Notio vniuerſalis rerum ſenſilium quid. 197
Numerus quomodo ſentiatur. 117
Numerus inter ſenſilia communia. 118.
Nutritio ab anima oritur. 78
Nutritio propria & impropria. 83.
Nutritio duplex accepta. 88.
Nutritio, tactu non indiget. 99.

O

OBiectum viſus, quod. 135
Obiectum debet reſpondere facultati. 223.
Oculus, qua ratione aqueus, qua igneus. 146.
Oculi ſecundum Platonem lumen emittunt. 149.
Oculus, cur vehementi ſenſibili labefactetur. 153.
Oculorum conuerſio in rem viſilem, cur neceſſaria. 157
Oculi duo, cur non duas res nobis videre faciant. 158.
Oculus, vt inſtrumentum aure nobilior. 172.
Odoratus, medius inter ſenſus externos. 172. vt diſtet à cæteris ſenſibus. 173
Odoratus, cur ab Ariſtotele igni tributus. 175.
Odorem ſolum ſpiritus nutrire quis exiſtimauerit. 82
Odor quomodo nutriat, quomodo non. ibid.
Opaci vtilitas, quæ. 168
Opacum cur immedio vniuerſi collocatum. ibid.
Opera communia gradibus viuentium. 63
Opera animę nutrientis, quæ. 86.
Operatio dicitur actus ſecundus. 30.
Opiniones multæ de anima. 18.
Opiniones multorum de ſede animę, reijciantur. 72.
Opiniones duę dantur in lumine. 215.
Ordo librorum Ariſtotelis. 9. & 10
Ordo ſenſuum, meliùs ab Ariſt. quam à Platone ſeruatus. 134
Ordo in productione motus qui. 256

Ordo

Ordo rerum omnium triplex. 206

P

Pars, vt conuenienter definitur. 40
Parua naturalia cur poſt libros de anima. 9
Perfectibile ab anima, duplex. 39
Perfectio in eo, quod aptum eſt ad generationem. 87
Peripateticorum de ſenſibus dæmonum error. 65
Peripateticorum de ſenſibus opinio. 110
Peripateticorum de plantis opinio. 92
Peripateticorum de ſenſibus opinio, quomodo vera. 112
Perſpectiuorum error, de munero ſenſibilium communium. 118
Perſpicuitas, quid ſit. 163. vnde oriatur ſecundum Auerroem. 163
Perſpicuitatis cauſa, quæ. 164. an competat omnibus corporibus phyſicis. 165
Perſpicuum terminatum, & non terminatum. ibid.
Perſpicuitas mixtorum craſſa. 166
Perſpicui vtilitates quæ. 167
Perſpicuum, non recipit tenebras, eodem modo, quo lumen. 169
Phantaſia, cur dicitur mens. 250
Phantaſia, & imaginatio, idem. 182
Phantaſmata, quomodo ſe habeant ad Dianoeticam. 187
Phantaſmata, quomodo offerantur humanę menti. 245
Philophonus, cui tribuat animæ conſiderationem 6. Errat ponendo animæ ſcientiam mathematicam eſſe. 7
Philoponi de duplici potentia opinio. 41
Philoponi de animę definitione ſententia. 44
Philoponi de alimento ſententia. 80
Philoponus bruta ſentire ſenſilia per accidens negat. 121
Philoponi de intellectu agenti, & poſſibili opinio. 243
Philoſophiæ prçter naturalem alię. 197
Phyſicus, de qua anima differat. 6
Phyſica ſcientia, non conſiderat intellectum. 201
Phyſici conſideratio, circa quæ. 206
Plantę, cur ultimo loco ab Ariſtotele tractatę. 10
Plantę ſecundum ſtoicos nec animatæ nec inanimatę. 90. anima ſen tiente prędita ſecundum Pythagoricos. 91
Plantę ſecundum Platonem animalia. ibid. carent ſentiendi fa-

Priſciani lydi de perſpicuo definitio. 167
Protheus, quid ſignificet. 2
Puer, quando dicatur eſurire. 97
Pulſio in medio uelocior. 261
Pythagorę opinio de anima. 59
Pythagoricorum de anima plantarum opinio. 91

Q

Qualitatis tertia ſpecies, quæ. 119
Quies eſt priuatio. 114
Quies priuatio, ſed non pura. 116
Quies addit modum proprio ſenſibili. 117
Quies inter ſenſilia comunia numeratur. 118
Quieſcens, requiritur pro motu animalium. 262
Quieſcens, an requiratur pro motu inanimorum, dubium. 263
Quieſcens triplex requiritur in cęlo. ibid.
Quies cauſa eſt vt ſeruetur motus. 264
Quies aufertur, ablato motu. ibid.

R

Rationalis animæ facultas quę. 54
Ratiocinandi facultas, quę ſit apud Ariſtotelem. 214
Radij an prodeant ex oculo. 150
Radiorum emiſſio, quomodo inanis ad uidendum. 151
Radiorum exitus non eſt cauſa uiſionis. 152
Radiorum exitus, quomodo concedatur. 154
Radiorum exitu fit viſio ſecundum Platonem. 159

S

Sanguis quomodo alimentum ultimum. 81
Scientia de anima, non eſt mathematica. 7
Scientia animæ, media inter naturalia & diuina. 8
Scientia de anima collata cum alijs, vt eſt certior & ut incertior. 15
Scoti opinio de potentia animę, uera confirmatur. 56
Semen non eſt corpus potentia viuum. 40

Senſus quibus rationibus non plus quam quinque. 174
Senſus qui quibus corporibus reſpondeant. 175
Senſus operans eſt in actu,non eſt actus. 31
Senſus dæmoni & cælo,nec metaphoricæ conuenire. 65
Senſuum internorum numerus,vnde dignoſcatur. 176
Senſus abſtractio quæ. 177
Senſuum internorum cognitio,vnde fiat. 178
Senſuum internorum numerus à diuerſis diuerſè traditus. 179
Senſus interni duo ſecundum quoſdam.180. confirmatur hæc opinio. ibid.
Senſus interni quinque,ſecundum quoſdam. 181
Senſus communis operationes,vbi manifeſtatur. 184
Senſus interni tres 186. non eſſe plures, nec pauciores tribus. 187
Senſus conſideratio,ſenſilis conſiderationem trahit. 167
Senſum conſiderans,quomodo tenetur conſiderare ſenſilia. 199
Senſus & ſenſilia referuntur ad inuicem. 200
Senſus,& intellectus paſſiones differentes. 219
Senſus à vehementi ſenſibili læditur. 220
Sermo,abſolute prolatus,intelligitur per ſe. 111
Simile ſimili cognoſci,vt falſum,& vt uerum. 21
Simplicij opinio circa conſiderationem de anima,partim vera,partim falſa. 6
Simplicij error,de anima cęli ab Ariſt.non tracta. 5
Simplicij opinio circa certitudinem ſcientiæ de anima. 14
Simplicij de potentia viuo ſententia. 43
Simplicij ſententia de definitione animæ reijcitur. 44
Simplicij opinio falſa, de tribus cauſarum generibus in anima. 52
Simplicij de ſede animæ opinio. 71
Simplicij de actione ſenſus opinio probatur. 127
Simplicij facultatum ſentiendi diuiſio. 128
Simplicij de obiecto viſus opinio.136.de modo videndi. 247
Simplicij ſententia circa intelligibilia. 209
Simplicij diſtinctio de phantaſia & intellectu,recta. 215
Simplicij opinio de motu. 260
Simplicij de motu, & quiete opinio. 264
Specierum conueniens locus,qui. 219
Subiectum animę,vt ſit actu. 25

Subſtantia,in materiam & formam. 27
Subſtantię ſeparatę,quomodo ſentiantur. 121
Subſtantias abiunctas inueniri probat Ariſtotelis. 207

T

TActus ab Ariſtotele ſenſus alimenti poſitus. 98. *verificatur.* 99
Temperamentum vt ſequantur actiones animę. 26
Temperamentorum diſtinctio,latitudine prędita. 181
Tenebras eſſe formam lumini contrariam,falſum. 168
Themiſtij opinio circa certitudinem ſcientiæ de anima. 13
Themiſtij de animę definitione ſententia. 44
Themiſtij de vnico appetitu opinio 68.*reijcitur.* ibid.
Themiſtij ſententia circa alimentum. 86
Themiſtij de ſenſibus opinio partim probatur,partim non. 110
Themiſtius immortalitatem animæ ex dictis Ariſtotelis refert. 231
Termini definitionum proprie accipiendi ſunt. 47
D.Thomę de ſede animæ opinio. 71
Thomæ opinio de ſede animę reijcitur. 73
Thomas bruta ſentire ſenſilia per accidens negat. 121
Thomæ opinio,de neceſſitate luminis in viſione. 138
Tyberij Cæſaris,oculi pręfulgentes. 154

V

VEnenum,non dicitur alimentum. 81
Videndi modus,varijs conſiderationibus illuſtratus. 147
Videndi actus ſecundum Platonem,quomodo perficiatur. 148
Videndi ſenſus dignitate cæteris præſtat. 162
Virtutes internæ quatuor,falſo poſitæ ab Auerroe. 185
Vis intelligendi , quomodo non pertinere ad phyſicum probetur. 196
Vis intelligendi,abiuncta a materia eſt,& immortalis. 201
Vis motrix,cur ab Ariſtotele vltimo loco tractata. 247
Viſibilis res,actionem videndi emittit. 153
Viſus , in ordine ſenſuum primus. 134. & 135. *eius obiectum, quod.* 133